Q. D. B. V.

DE

INIMICITIIS CAPITALIBUS,

Von

Todt-Feindschafft/

EXERCITATIONEM JURIDICAM

SUB PRÆSIDIO

DN. JOACHIMI HOPPII, J. U. D.

EIUS, ET HISTOR. PROFESS. PUBL.

NEC NON GYMN. GEDAN. INSPECT.

FAUTORIS AC PRÆCEPTORIS SUI

submisso cultu observandi,

D. XX. JULII, HORIS MATUTINIS,

IN AUDITORIO MAIORI,

Publicæ placidaq; Discussioni submittit,

SALOMON WAHL.

GEDANI,

Imprimebat DAVID-FRIDERICUS RHETIUS,

ANNO M. DC. LXXXIV.

PROOEMIUM.

VOtis licet omnibus exoptandum esset, ut universi Orbis hujus incolæ, quidē sanâ ratione illustres Supremus fecit Conditor, aureo illi *Hieronymi* effato, *in cap. 6. Epist. ad Galat.* morem gererent, inquientis: *Quantum in nobis est, nullius debemus esse inimici, sed cum omnibus habere pacem; Quodsi loquentes veritatem aliquos meremur Inimicos, non tam nos inimici eorum sumus, quàm illi inimici veritatis;* longè tamen ab eo diversam vivendi proh dolor! rationem usu observari, dolendum meritò venit. Ita enim præsentium temporum mores sunt comparati, ut unicè quasi mortalium animis videatur propositum, universale illud bellum, quod, extra societatem considerati, inter se gerere dicuntur homines, apud *Hobbes de Cive cap. 1. n. 12.* quibuscunq; exprimere negotiis. Injuriarum certè atrocium atq; enormium, pacis ac tranquillitatis publicæ æquè ac privatæ violationum nullꝰ conspicitur terminꝰ, bellis, litibꝰ atque inimicitiis undique strepunt compita, nec tot singula concordiā spirantia audiuntur verba, quot scommatum myriades in foro eructantur;

Haud doctis dictis certantes, sed maledictis
Miscent inter sese inimicitias agitantes.
Non ex jure manu consertum: Sed mage ferro
Rem repetunt, regnumq; petunt, vadunt solidâ vi,

Ut *Ennius* canit *lib. 8. Annal.* Cùm igitur tam frequentia atq; usitata Inimicitiarum, haud rarò etiam Capitalium, exempla oculis omnium sese ingerant, nos pro Ingenii modulo Exercitatione Juridicà de INIMICITIIS CAPITALIBUS in lucem aliquid emittere instituimus, non tam animum iis nostrum delectabundum, quàm effectûs illarum singulares, aliaque circa eas observanda declaraturi. Quæ opera ut felici successu gaudeat, ante omnia Divini Numinis subsidia humillimè imploramus; Benevolum verò Lectorem, ut candore atque favore suo nos non dedignētur, quàm maximè rogamus.

C. D.

I.

Ingressus.

NEcessarium non minùs, quàm utile est, priusquàm rei cujusdam tractationem suscipiamus, verborum habere rationem: Sicuti enim qui conchas negligit, haud facilè copiam nanciscitur margaritas colligendi; Sic quoque qui nomina non satis cognoscit, in rei naturam penetrare haud commodè valet. Receptus inde dudum fuit mos, ut tam in Disputationibus conscribendis, quàm aliorum JCtorum scriptis, verborum ante omnia genuinus proponeretur sensus, ceu patet ex *L.1.pr.ff.de J. & J.L.1.§.1.ff.de Pact. L.un.§.1.ff.de Offic.Quæst.L.2.§.22.ff.de O.J. & L.1.pr.ff. de Divort.* Add. *Scalig. Exerc.1. Sect.1. & Exerc.325. Sect.9. in fin.* Quapropter ne in hunc injurii hac vice videamur, paucissimis, quid sibi velit Dissertationis hujus Rubrum, adumbrabimus: Prolixiora enim nostrum de hac materiâ agendi non permittit institutum.

Vocabulum Inimicitiæ unde descendat?

II. Quod igitur ad primum attinet Rubri vocabulum: *Inimicitiæ*, illud ex præpositione; *In*, & nomine; *Amicitia* compositum esse, nemini latere potest; licet hoc non obstante, non ut Amicitia in singulari numero, sed, quantum memini, tantùm in plurali efferatur à Classicis Auctoribus, nisi quòd in Jure nostro etiam in singulari positum inveniatur in *L.6.§.17.ff. de Excus.Tut.* Unde, si & nos eodem promiscue in hac Dissertatione utamur, facilè nobis veniam pollicemur. Amicitiæ vocabulum quid denotet, in aprico est, nimirùm ut *Cicero* in *Lælio* describit: *Omnium Divinarum humanarumque rerum cum benevolentiâ & charitate summam consensionem*, quæ non in levi quâdam, sed summâ honestæ familiaritatis notitiâ fundatur, ut innuit *Paul. in L.223. §.1.ff de V.S.* ibique *Goedd.* n.2. conf. *Senec. Lib.1. Ep.3. & Cujac. Lib.17. Observ. Cap.18.* Præpositionis verò: *In* significatio non æquè manifesta, sed pro ratione substratæ materiæ, mox hoc, mox alio sensu explicanda, uti videre ex *Gravett. vol.3. Consf.983. n.42. Bartol. ad L.40. §. Thermilius ff.*

Amicitiæ quid denotet?

Quid particula In?

de Condit. & Demonstr. Calv. in Lex. Jur. sub. voc. In. Strauch. in Lexic. Partic. Jur. eàd. voc. Unde non sine caussâ determinationem ejus Judicis arbitrio commisit *Menoch. de Arb. Jud. Quæst. cas. 495.* Frequenter tamen, si alii voci jungatur, idem denotat, ac: *non*, soletque Germanicè exprimi per particulam: Un/v.gr. Unbillig/Ungerecht/Ungelehrt/&c. Ita quidem, ut aliquando privationem tantùm significet qualitatis, cui adjicitur, & solùm aliquid removeat, prout *Indoctus* dicitur, qui non est doctus, licet exinde non statim sequatur, quòd sit rudis, &c. Aliquando vero, & ferè plerùmque, non tantùm aliquid removeat, sed insuper contrariam qualitatem ponat, quo modo *Injustus* dicitur, non tantùm qui Justitiam non exercet, verùm etiam injusta simul agit: Atque hac ratione etiam *Inimicus* dicitur, non solùm qui alteri non est Amicus, sed quoque osor insuper ejus ac osor acerrimus: Neque enim omnes non amici statim sunt inimici, sed illi demum tales dicendi, qui odio & malevolentiâ aliquem prosequuntur.

III. Sequitur alterum verbum: *Capitalis*, paulò majori difficultate laborans. Derivari illud à nomine *Caput*, facilè cognitum esse potest; Sed hujus uti variæ in Jure occurunt significationes, quas videre licet omnes apud *Rebhan. in Hodeg. Jur. Chart. 2. clim. 1. §. 8.* Sic quoque illius. Sufficiet nobis, illas hac vice in medium protulisse, quæ scopo nostro maximè videntur inservire. Nimirum accipitur vox *Capitalis* vel propriè ac STRICTE, & caussa tantùm sangvinis eâ significatur, quo sensu occurrit in *L. Transigere 18. C. de Transaction.* ubi crimen capitale dicitur, cujus pœna est mors naturalis, vel ultimum supplicium: Item in *L. 4. ff. de Pœn.* aliisque à *Carpzov.* adductis *in Pr. Crim. Qu. 102. n. 4.* Vel etiam LATE, pro caussâ, quæ aut vitæ, aut libertatis, aut civitatis amissionem concernit, quo modo Judicia publica dicuntur *Capitalia in §. 1. I. de Publ. Jud. L. 2. ff. eod. L. 13. ff. de Bonor. possess.* Add. L. 10. *ff. de Jur. Patron. & L. 4. pr. ff. si quis caut. in judic. sist. causs. fact.* MATTHIÆ. *de Crimin. C. 4. Proleg. n. 5.* Vel denique *latissimè*, pro qualicunque caussâ existimationis, *L. 103. de V. S.* i. e. *existima-*

Verbi Capitalis acceptiones.

 stima-

ſtimationem ac dignitatem concernente. Vid. ALCIAT. *ad d. L. Et* in hoc ſignificatu nobis etiam hîc venit verbum *Capitalis*, breviterque nihil aliud denotat, quàm cauſſam aliquam gravisſimam, quæ ingens, aut etiam totale conditioni noſtræ adfert diſpendium, quâ ratione *Inimicitiæ* dicuntur *Capitales* in L. 8. *§. fin. L. 14. ff. de Procur. L. 15. ff. de recept. qui arbitr. recep. L. 16. §. 17. ff. de Excuſ. Tut. §. 11. I. eod. L. 3. §. 11. ff. de adim. & transfer. leg. L. 9. ff. de his, quæ ut indign. 1. Feud. 22. pr. c. 8. X. de Reſtit. Spoliat. &c.*

Inimicitiæ Capitalis Synonyma.

IV. Atque ſic non multùm ab Inimicitiâ Capitali abludere videtur, quod Scriptoribus hinc-inde uſu venit: *Odium Vatinianum.* Quàmvis enim, ut notat *Cicero L. 4. Tuſcul. Quæſt. c. 9.* differant inter ſe odium & Inimicitia, haud rarò tamen inter Latinos pro Synonymis habentur. Add. *Nov. 90. c. 7.* Vatinianum autem pro *capitali*, ac vehementer acerbo ſumi expreſſè notat *Eraſm. in Chil. Adag. voc. Odium.* Quin & in Proverbium abiiſſe inter alia ex illo *Catulli* probatur:

— — *Munere iſto*
Odisſem Te Odio Vatiniano,

Traxit autem, ut in aprico eſt, originem ſuam à Vatinio, Romano quodam impudentisſimo, qui, ut *Seneca* ait, *asſiduò convicio depudere didicerat*, hincque implacabile prorſus atque internecinum, tam Ciceronis, quàm ipſius Populi Romani in ſe concitaverat odium, prout patet ex *Orat. Cicer. in Vatin. §. 1. ibi: Odio enim Tui, in quo etſi omnes propter tuum in me ſcelus ſuperare debeo, tamen ab omnibus penè vincor, ſic ſum incitatus* &c. Vid. *Ludov. Cæl. Rhodigin. Lect. Antiqu. L. 30. c. 26. in fin.* Apud Germanos exprimi ſolet *Capitalis Inimicitia* per Todt-Feindſchafft & *Capitalis Inimicus* dici: ein Todt-Feind/der einem den Todt/und was dieſem möchte verglichen werden/geſchworen. i. e. qui modis atque occaſionibus omnibus extremam Inimico accelerare perniciem laborat, de quo *Horat.* canere videtur:

Ira fuit Capitalis, *ut ultima divideret mors.*

Licet aliàs certum, Iram differre ab inimicitiâ, quòd Ira cum vehementiore appetitu, ſeu cum dolore vindictæ impellat homi-

nem

nem ad alteri nocendum, ob sui vel suorum parvi pensionem, ut inquit *Hornej. in Philos. Moral. L. 2. cap. 6. in fin.* Non etiam Inimicitia. Pertinere huc etiam videtur Germanicum Spinn-Feind/ ab antipathiâ forsitan, quæ est inter araneam & bufonem, derivatum, de quo tamen pluribus nunc dicere non vacat, vid. *Erasm. in Dialog. de Amicitiâ.*

V. His itaque enucleatis, non ampliùs difficile erit colligere, quid nobis sint INIMICITIÆ CAPITALES, nimir: *Odium, quo quis ob mala, quæ ab altero verè vel putativè accepit, aut metuit, vel aliàs ex quadam animi pravitate, impellitur ad perniciem alterius saluti inferendam.* Quid sit Inimicitia Capitalis,

VI. Explicationi hujus Descriptionis ut longiùs immoremur, necessum non putamus: Partim enim ex præcedentibus illa patet, partim ex sequentibus patebit. Saltem illud hîc in genere notamus, non tantùm ex accusatione capitali Capitalem oriri Inimicitiam, ut aliqui putârunt, vid. *Arnold. de Reyger in Thesaur. Jur. voc. Inimicitia. Gifan. ad L. 8. §. ult. ff. de Procur. n. 21.* Verùm etiam ex plurimis aliis causſis, uti ex mox dicendis constabit, quas quidem specialiori aliquâ Regulâ definire, multifariæ factorum circumstantiæ haud permittunt, fatente ipso *Carpzov. in Pr. Crim. Qu. 120. n. 46.* Pariter & hoc observamus, non præcisè ad Inimicitiam Capitalem requiri, ut vel testatò fuerit denunciata, & amicitia solenniter renunciata, quod apud Romanos moris fuisse, docet exemplum Germanici apud *Sveton. in Claud.* & Tiberii Grac chi apud *Valer. Max. L. 4.* Add. *Cicer. in Oration. pro L. Flacco. Gothofr. ad L. 6. §. 17. ff. de Excus. Tut. lit. z. Barbos. in Tr. de Offic. & Potest. Episcop. Part. 2. alleg. 41. n. 10.* & *ad c. per tuas 32. de Simoniâ n. 7. Ravard. 5. Variar. 15.* RICHTER. *de Signific. Adverb. lit. I. n. 30.* Vel etiam ut per literas alteri indicata, quod Germanis olim solemne fuisse, monstrat *Besold. in Thes. Pract. voc.* Fehde, Unde literæ diffidatoriæ Fehd- und Absag-Brieff/ quæ

Variæ sunt caussæ Inimicitiæ Capitalis.

An illa tantùm Inimic. Capitalis dicenda, quæ alicui denunciata?

tamen hodie, & quidem rectè, interdictæ à *Carolo V. in Const. Crim. art. 129.* Add. *Gail. de Pace Publ. c. 1. n. 2.* Vel denique ut alio modo declarata, quorsum referimus Arabum Inimicitias Capitales manifestandi morem, σκοπελισμὸν i. e. *lapidum positionem* dictum, quo receptum erat, ut, qui inimicitiam adversùs aliquem gereret, lapides in prædio Inimici poneret, indicio futuros, quòd, si quis prædium illud coluisset, malo letho periturus esset insidiis eorum, qui scopulos posuissent, *L. 9. ff. de Extraord. crim.* Sed sufficere, si justa satis & prægnans possit doceri caussa, unde contracta Inimicitia Capitalis. Neque enim de modo manifestandi opus est, ut simus solliciti, si caussa eam producens sit aperta, cùm positâ caussâ non possit etiam non ejusdem poni effectus.

Inimic. Capit alia est *Manifesta*, alia *Occulta*.

VII. Ex quo suâ sponte jam fluit DIVISIO Inimicitiæ Capitalis, quod scilicet alia sit *manifesta*, alia *occulta*. *Illam* vocamus, de quâ apertè constat, vel ex denunciatione ac declaratione Inimici, vel etiam ex facto, seu caussâ Inimicitiam capitalem inducente; *Hanc* autem, quæ latet, nec ex actu aliquo probari aut colligi potest, de quâ, cùm nullum pariat juris effectum, quia de occultis non judicat Ecclesia, *c. 33. X. de Simon. & arg. L. 7. C. de Condict. caus. dat. L. 18. ff. de Pœn.* & *can. 20. caus. 2. qu. 4.* non opus est, ut hîc magnoperè simus solliciti. Manifesta autem non incommodè rursùs distingvi videtur, in *Veram ac Præsumptam*. *Illam* describere placet, quando non tantùm caussa Inimicitiæ adest, sed etiam de odio perniciali ex verbis aut aliis actibus, quibus quis nocuit, aut nocere voluit, revera constat; *Hanc* verò, quando caussa quidem adest, unde vel à Judice, vel Jure præsumatur alicujus Inimicitia, utpote: quòd aliquando contra aliquem sententia lata, aut in caussâ capitali patrocinium præstitum, *&c.* Cæteroquin tamen de odio ipso ex actu aliquo externo non constat: Quâ ratione Inimici præsumuntur, qui de Inimici domo prodeunt. *Can. Accusationibus III. q. 5.* Qui cum hostibus meis conversantur. *c. 10. X. de Accus.* &c.

Manifesta vel vera vel *præsumpta*.

Plures Ini-

VIII. Plures Divisiones suppeditari possent, nimirum

quòd

quòd Inimicitia Capiralis alia fit *Activa*, quando quis odio exitiali aliquem profequitur; Alia *Paſſiva*, quando quis ſuſtinet alterius odium; Item quod alia fit *reconciliata*, quando vel expreſsè, vel tacitè inter partes offenſas, remiſſio injuriarum & offenſionum eſt facta, idque vel recenter, vel jam diu; quæ tamen propriè non eſt ampliùs Inimicitia; Alia *irreconciliata*, quando talis remiſſio non eſt facta, quæ colligitur ex §. 11. I. *de Excuſ. Tut.* Sed cùm hæ faciles ſint, aliæ verò ad Inimicitiam in genere conſideratam pertineant, nolumus in illis recenſendis eſſe prolixi, ſed miſſis hiſce generalioribus, ad ſpecialiora nunc nos conferimus. (mic. Capit. Diviſiones.)

IX. Inter hæc autem non immeritò primùm CAUSÆ Inimicitiæ Capitalis, ex quibus ſcilicet eadem generatur, ſunt excutiendæ; In quibus tamen excutiendis facilè, ut opinamur, veniam merebimur, ſi ſeparaverimus Cauſas Inimicitiæ Capitalis, Theologicas, Ethicas ac Phyſicas, à Juridicis, illisque ſepoſitis, hiſce tantùmmodò inſiſtamus: Tractent enim fabrilia Fabri. Cauſſæ autem Juridicæ, quantùm quidem nobis perſpicere licet, tales ſunt, ut non eâdem certitudine Inimicitiam noſtram cum ſuâ qualitate producant, ac palam faciant. Sanè ad Inimicitiam Capitalem veram conſtituendam non quævis indicia & facta pertinent, licet præſumendi egregiam ſubminiſtrent materiam. Hinc illius cauſſam indubitatam pono: I, *Ipſam Inimici mei confeſſionem*, de quâ vid. *Farinac. Tr. Crim. L. 1. Tit. 5. q. 49. n. 50.* Hæc enim, uti optima eſt probatio, *Bald. L. 2. Conſ. 195.* Ita neminem amplius ſinit dubitare, & ad cavendum affatim ſollicitat. Scrupulus tamen adhuc iſte remanere videtur: Scilicet vulgatum eſt JCtorum brocardicum: Propriam turpitudinem confitenti non eſſe fidem habendam, *arg. L. 30. C. de Transact.* Jam vero, qui dicit & confitetur: Ego ſum tuus Inimicus Capitalis; ſuam omnino turpitudinem confitetur: Sed omiſſis aliis Ddrum limitationibus, quas vid. apud *Aug. Barboſ. in Theſ. Jur. Locupl. L. 18. c. 33. Ax. 5.* brevibus reſpondemus: Regulam illam procedere, ſi confitens ex ſuâ confeſſione ſibi commodum captare

(Cauſſa Inimic. Capit.)

(Inimicitia Capitalis vera inducitur. (1) Ex Inimici confeſſione.)

ptare

ptare velit, uti patet ex *d. L. 30.* Unde utique nullius foret nomenti illius exceptio, qui tanquam Testis productus, ut à Testimonii se liberaret dictione, eo se tueretur, quod Inimicus esset illius, contra quem deponere deberet. Requiritur enim ut ejusmodi confessio suis innitatur ac firmetur indiciis. Extra hunc autem casum confessio serio ac deliberato prolata ac probata veritatem omnino operatur Inimicitiæ Capitalis.

Utpote ex literis Diffidatoriis, & minis occidendi.

X. Sic itaque non tantum Literæ diffidatoriæ, de quibus in *th. 6.* dictum, Veram inducunt Inimicitiam Capitalem; Verum etiam minæ alterum occidendi, aut insigniter eidem nocendi, MASCARD. *de Probat. Concl. 900. n. 14. Farin. d. qu. 49 n. 47.* CARD. TUSCH. *Concl. 149. lit. I. n. 4.* JOH. SICHARD. *ad L. 22. C. de Procur. n. 3.* CRAVETT. *cons. 35. n. 1.* SCHRADER. *vol. 2. cons. 27. n. 12.* Nam non possunt non ejusmodi minæ ex infensissimo prodire pectore, ut inde de veritate Inimicitiæ Capitalis nemo nisi Davus dubitet. Neque distinguendum puto cum MASCARD. *d. l. n. 15.* WESEMBEC. *P. 1. cons. 43. n. 153.* SALYCET. *ad L. 1. C. Qu. lic. unicuique sine Judic. n. 1.* aliisque: Utrum is, qui minatur, tantæ potentiæ sit, ut possit minas effectui dare, aut etiam utrum solitus fuerit minas exsequi, an non: Sæpissimè enim vel impotentissimi, nobis sunt infensissimi, eoque magis exacerbantur, quo minus quodvis propositum ad exitum perducere possunt. vid. tamen FARINAC. *d. qu. 49. n. 48.*

An verba: *Non diligo illum*, inducat Inimic. Capit.

XI. An vero etiam illa confessio huc pertinebit: *Non diligo illum?* Et negandum id ipsum non sine ratione puto: Quis enim hæc pro Synonymis caperet: *non diligere*, & *odisse?* Siquidem odium, seu Imicitia non nudam tantum denotat privationem amoris, sed & contrariam aliquam ponit qualitatem, vid. *supr. th. 2. in fin.* Et datur utique medium inter amorem & odium, quod est non amor, non præcise aliquid vitiosi involvens, ut hinc falsa sit connexio illius: Aut homo est diligendus, aut odio prosequendus. Comprobat

hoc

hoc ipsum vel cujusvis sanioris sana conscientia. Quot enim sunt, quos non diligimus, nec diligere possumus, quia non novimus, nec è re nostrâ putamus, multos habere amicos; At vero idcirco illos non statim detestamur, non odio illorum flagramus. Sunt tamen nihilominus, qui ad præsumptam Inimicitiam leviorem, quamvis non præcise Capitalem hanc referant confessionem. MASCARD. *d. concl. 900. non 40. junct. n. 16.* FARINAC. *d. qu. 49. n. 52.* Sed nimis profecto fragilem hanc judicamus præsumtionem, nisi alia caussa odiosa præcedens, occasionem suppeditaverit ejusmodi verba eructandi. Vid. *Gloss. ad L. Athletæ §. Dant. ff. de Excus. Tut.*

XII. Sed num extra pœnæ periculum erit, qui aperte alicui dixit: *Sum Tuus Inimicus Capitalis?* Quod affirmare non dubito: Licet enim ejusmodi homo coram DEO abominabilis exsistat, nullaque magis re adversus Sacrosancta Numinis præcepta peccetur, quam amorem proximi exuendo, & aperte odium atque inimicitiam profitendo; nulla tamen in Legibus huic peccato constituta reperitur pœna; Unde illis tacentibus, & nos tacere necessum habemus, *arg. L. 32. pr. ff. de Recept. qui arbitr. recep.* Neque obstat, quod Scopelismus & Diffidatio pœna capitis coërceantur, *L. 9. ff. de Extraord. Crim.* ANT. MATTH. *de Crimin. ad Libr. 47. ff. tit. 5. Cap. 2 n. 3.* DN. STRUV. *in S. J. C. Exerc. 48. th. 84.* CARPZ. *Pr. Crim. qu. 37.* Hujusmodi enim Inimicitiæ in speciale degenerant crimen, & ad actum proximum conatumque nocendi progrediuntur, quem aliquando pœnæ obnoxium esse constat ex *§. 5. & 6. I. de Publ. Judic. L. 6. C. de his qui ad Eccles. confug. & L. 5. C. Ad Jul. Maj. Excell. Dn. Præses in Exam. Instit. tit. de J. & J. Qu.* 14. Interim tamen non diffitendum, quod, si ejusmodi apertus Inimicus exstet, Sacerdotibus cura incumbat, eundem omni modo ad reconciliationem cum Adversario commovendi, vel etiam sub pœna exclusionis à Sacra Synaxi, adigendi; Quin etiam, si illæ Inimicitiæ in minas sese exserant, pœna carceris poterit locum habere, donec cautio præstita de altero non offendendo. CARPZ. *P. 4. C.*

An ille, qui alterius Inimicum Capitalem se jactitat, possit puniri?

 15. def.

15. def. 5. AMAD. ECKOLT. *adff. tit. Qui satisd. cog.* §. *18.* GAIL. *de Pace Publ. L. 1. C. 2. n. 1.* FARINAC. *p. 3. Oper. Crimin. Qu. 107. n. 36.*

Inimic. Capitalis Vera (2) inducitur ex *insidiis vitæ stru-ctis.*

XIII. Sequitur II. veram Inimicitiam Capitalem producendi caussa, nimir. *Insidiæ vitæ alterius structæ*, *arg. L. 28. C. de inoffic. Testam.* & *L. 9. C. de his, quib. ut indign.* Idque, sive directo structæ fuerint, v. gr. veneno, aut aliis mediis, sive per indirectum, v. gr. falsum testimonium in caussa capitali dicendo, frivole aliquem capitis accusando, aut alio quocunque modo: Neque in occulto est hujus rei ratio: Quis enim majore mei odio ardere posset, quam qui vitam meam persequitur, qui illam destruere tentat insidiis, quæ naturali hominum cognationi quam maxime adversæ, *Ut vim. 3. ff. de J. & J.* add. MASCARD. *de probat. concl. 900. n. 13.* GLOSS. *ad §. 11. I. de Excus. Tut.* MENOCH. *de A. J. Q. cas. 361.* BERLICH. *Pract. Concl. P. 4. Concl. 20.* Idem dicendum de eo, qui bonis ac facultatibus alterius parat insidias, illarumque jacturam omnibus modis affectat: Nam & ille per indirectum vitæ insidiatur, atque sic Inimicus meus est Capitalis, cum bona fere vitæ æquiparentur, *arg. L. 21. pr. ff. de Excus. Tut.* ibique *Gloss. c. Frequens de Restit. Spol.* Imo alter sanguis hominis dicantur, *L. Advocati 14. C. de Advoc. divers. Jud.* ibique *Gloss.* Add. *L. Necare 4. ff. de agnosc. & al. lib.* HARBRECHT. *ad §. 4. I. de Excus. Tut. n. 3.* FARINAC. *d. Tr. Qu. 49. n. 5.* MASCARD. *d. concl. 900. n. 8.*

(3) *Ex ablatione & spoliatione bonorum.*

XIV. Excipit hanc III. caussa veræ Inimicitiæ Capitalis: *Ablatio* scil. *& Spoliatio bonorum*, vel etiam rei cujusdam particularis, modo magni sit pretii. Qui enim bona nostra, vel majorem illorum partem aufert, & hac ratione nos ad incitas redigit, mediisque vitæ spoliat, non potest non exitiali nosmet odio prosequi, quippe quod ipso facto satis comprobat, *c. arg. 6. X. de* RESTIT. SPOL. CARD. TUSCH. *Pract. Concl. 149. n. 13. lit. I.* *Farinac. d. qu. 49. n. 16.* MASCARD. *d. concl. 900. n. 7. & 1.*

Non

Non itaque attendendum putamus, num clandestina fuerit ablatio, an manifesta, cum utroque modo par damnum inferatur; saltem quod vera hinc inducatur Inimicitia, potissimum quantum ad ipsum aufferentem, intellectum volumus, dissentiente licet FARIN. *d. l. n. 19.* Hic enim dum consulto ac dolosè tam grande bonis nostris infert damnum, manifestum satis edit Inimicitiæ adversus nos documentum. Add. *Excell. Dn.* FROMMAN. *in Disp. de Inimicit. th. 13. n. 10. in fin.*

XV. Restat ut IV. adjiciamus Inimitiæ Capitalis veræ caussam, quam constituunt INJVRIÆ: Hæ enim, si deliberatò inferantur, non ex alio, quàm maligno atque odii plenissimo pectore proficiscuntur, ut adeo illis legitimè probatis, manifesta satis sit inferentis Inimicitia: Et si bonorum nostrorum impudens Invasor atque populator, pro Inimico reputatur Capitali, prout antea probavimus; Quidni etiam talis famæ nostræ sugillator ac persecutor pessimus? Quia damnum famæ atque honoris multò gravius est damno pecuniario, *L. 104. ff. de R. J. Proverb. c. 22. v. 1.* & perdere honorem ac famam mors quasi quædam civilis est. ALEX. *Lib. 6. Conf. 133. n. 8. Goedd. ad L. 103. de V. S. n. 3.* Neque distingvere hic necessum est inter injurias reales & verbales, cùm tam pro his, quàm pro illis eadem militet ratio: Modò reverà sint ATROCES, ut communiter requirunt Ddres. conf. CARD. TVSCH. *concl. 149. lit. I.* SCHNEIDEW. *ad §. 9. I. de Excus. Tut. n. 8.* FARIN. *d. qu. 49. n. 41.* Quamvis enim omnis injuria, quà talis, ex inimico propullulet pectore, effectus tamen omninò limitat causam præcedentem, ita ut ex levi injuriâ non statim pateat Inimicitia Capitalis inferentis, sed tantum atroci, quæ unde dignoscenda, suppeditat *§. 9. I. de Injur.* & *L. 7. §. ult. & pen. ff. eod.* docetque vulgatus versiculus:

(4) *Ex Injuriis,*

Et quidem atrocibus.

His tribus ex causis injuria dicitur atrox:
Facti, Personæ, *vel ratione* Loci.

Quas causas vel circumstantias si attenderit Judex circumspectus; Hujus enim arbitrium neutiquam excludimus. MENOCH.

de A. J. Q. caſ. 263. CARPZ. *Pr. Cr. Qu. 100. n. 1. ſeqq.* non difficile erit dignoſcere, quænam injuria ſit atrox, hincque facilè de ipsâ Inimicitiâ Capitali poſtea conſtabit.

Quod exemplis nonnullarum quæſtionum illuſtratur.

XVI. Et hinc jam dependent plurimarum Quæſtionum, hinc inde à Ddribus agitatarum, reſolutiones quarum quasdam hic exempli loco attuliſſe, non erit prorſus injucundum. Ita quærunt: An Capitalis Inimicus ſit ille, qui injuſto carcere alterum ſciens detinet? Et facilè idipſum concedimus cum FARINAC. *d. P. 3. Oper, Crim. Qu. 49. n. 28.* quòd hujusmodi incarceratio non minimum aggravet injuriam, *arg. L. 2. ff. de liber. hom. exhib.* Add. WESEMBEC. *P. 1. conſ. 30. n. 23.* & *P. 2. conſ. 57. n. 9.* CARD. TUSCH. *Concl. 79. lit. C.* SCHRADER. *Vol. 2. conſ. 27. n. 11.* An Judex, qui ſine cauſsâ aliquem arreſto detinet, ſit illius hoſtis Capitalis? Quod iterum affirmamus cum SCHRADER. *d. conſ. 27. n. 10.* præprimis, ſi ideo detentus, ut gravisſimum incurreret damnum, cum Carceris ſpeciem præ ſe ferat Arreſtum. Vid. *Mev. in Tr. de Arreſt. cap. 4. n. 12. & 13. Gail. Tr. eod. Cap. 14. n. 1.* An uxorem alterius invitô Maritô detinens, ſit Mariti Inimicus capitalis? Quod pariter adfirmari poteſt, ob *c. Accedens 4. X. ut lit. non conteſt.* & ibi *Farboſ.* Add. *Farinac. d. q. 49. n. 83.* Non tamen ad alios Mariti conjunctos hoc facile extendi, ut minus caute facit BERTAZZOL. *L. 2. conſ. 264. n. 10.* conf. *infr. th. 31.* An ex libello famoſo, quem malè pasſim cum Pasquillo confundunt, vid. *Magnif. D. Stryk in Annot. Inſt. ad §. 2. de Injur.* inferatur Inimicitia Capitalis illius, qui eum compoſuit? Et quoque affirmatur cum multo gravior atque atrocior cæteris ſit hæc injuria. *L. un. C. de fam. libell.* HARPR. *ad §. 1. I. de Injur. n. 160.* PEREZ. *ad d. tit. C. n. 1.* CARPZ. *in Pr. Cr. Qu. 98.* An denique qui ſtudio alteri vulnus in faciem intulit, hoc ipſo manifeſtum faciat, ſe eſſe Inimicum ejus Capitalem? Quod ſimiliter admittimus cum FARINAC. *d. q. 49. n. 30.* MASCARD. *de Prob. concl. 900. n. 19.* ALEXAND. *L. 1. conſ. 99. n. 1.* præprimis, ſi Virgini tale vulnus illatum. EXCELL. DN. PRÆS. *in Exam. Inſtit. tit. de Injur. Qu. 25.* Nam hujus forma per cica-

cicatricem remanentem multum detrahitur, ut jam non æquè ampla nubendi pateat conditio.

XVII. Hac itaque ratione modos exposuimus, quibus ferè ex parte Inimici Activi de veritate Inimicitiæ Capitalis certi esse possimus, adeò quidem, ut qui talia committit, frustra postmodum excipiat, se non esse Inimicum, quacunque ratione etiam ad contrarii probationem semet offerat, *arg.* L. *60*, *§. 6. ff. Locat. Barbos. in Thes. Locupl. L. 14. Cap. 103. Ax. 15*, Ex parte Inimici passivi non nisi præsumpta videtur adesse Inimicitia, unde de eo in sequentibus agemus. Illud saltem, quà prius, adhuc discutiendum superest; Quamdiu duret, vel durare præsumatur Inimicitia, quæ dictis antea modis fuit manifestata? Et Puto, quòd semel Inimicus meus factus, semper talis præsumatur, quia uti mutatio non præsumitur, sic nec reconciliatio, *arg. L. 22. ff. de probat.* Et præsumitur, utplurimum ex præterito in præsens. *Aug. Barbos. d. Tr. L. 14. Cap. 70. Ax. 1.* Hinc, qui quondam mihi struxit insidias, Inimicus meus etiam illis jam cessantibus permanere creditur: Idem de eo, qui me bonis quondam spoliavit, licet eadem jubente Judice restituerit; quia ex ejusmodi actu coacto non potest colligi recociliatio; Aliud si sponte reddidisset: Nam sic exuisse videretur animum hostilem, cùm Inimicus Capitalis, quà talis, nihil nobis cupiat salvum, nihil integrum. *vid.* CICER. *in Orat. pro Quint.*

Quamdiu durare præsumatur Inimic. Capit. vera?

XVIII. Progrediendum igitur nunc ad Caussas Inimicitiæ præsumptæ: Sed hic in limine statim mirum alicui videri posset, quòd præsumptam statuamus Inimicitiam. Certè cognationem inter homines Natura constituit, *L. Ut. vim. 3. ff. de J. & J.* Quo Jure igitur homo hominis præsumetur Inimicus, & quidem Capitalis? cùm insuper omnis præsumptio debeat esse delicti exclusiva, *L. 51. pr. ff. pro Soc.* & *arg. L. 15. ff. de Condit. Instit.* Verùm salva res est. Constituit natura inter nos cognitionem, & utinam hæc sanctius inter homines coleretur! Sed non ita constituit, ut contra eam peccari non possit. Quorsum enim aliàs tot homicidia, tot furta, tot injuriæ, quæ quotidie proh dolor!

An detur Inimicitia præsumpta?

 com-

committuntur? Non ergò præsumitur homo hominis Inimicus per se & naturaliter, aut sine signis. MENOCH. *de Præsumpt. Lib. 5. præs. 43. n. 1.* MASCARD. *de concl. 900. n 1. & seqq.* BALD. *in Cap. constitutus in fin. de Rescript.* CRAVETT. *cons. 8. n. 8.* Præsumitur tamen ex signis, factis ac gestis. MENOCH. *d. Tr. L. 1. Præs. 19. pr.* cum, quales fructus, talis quoque præsumatur arbor. Probare igitur ejusmodi signa vel facta necessum habebit, qui alterum Inimicum suum Capitalem esse dicit. *arg. L. 2. ff. de Probat.* PRUCKMAN. *Vol. 1. cons 43. n. 18.* Quibus probatis, vel vera exinde inducitur Inimicitia, contrarii probationem, ut paulò antea monuimus, non admittens; vel Præsumpta, quæ non directò & necessariò ex facto infertur, sed tantum præsumptivè colligitur, vid. *supr. th. 7.* adeoque contrarii probationem omninò admittit: Illius signa ac caussas in præcedentibus exhibuimus; restat igitur, ut hujus nunc addamus.

Probanda Inimic. Capit.

XIX. Recensentur autem variæ caussæ, unde inducatur Præsumta Inimicitia Capitalis, quæ tamen num semper æque validæ sint ad effectus suos producendos, paulò penitius nunc considerandum. Iterum verò potissimum de Inimicitiâ Activa erimus solliciti, quippe quâ positâ, ponitur etiam passiva, prout infra pluribus dicemus. Præsumitur autem hæc vel ex actibus Judicialibus, vel Extrajudicialibus. Inter illos prima ponitur *Accusatio in Caussâ Capitali.* *L. 14.* ibique *DD. ff. de Bon. Libert.* AUTH. *Si testis, ibique DD. C. de Testib. Nov. 90. c. 7.* ibique GOTHOFR. *lit. e. &* GLOSS. *verb. odiosum.* GLOSS. *ad L. 15. ff. de recept. qui arbitr.* CUIAC. *ad L. 14. ff. de Procur. & L. 6. ff. de* EXCUS. BARBOS. *in Tr. de offic. & potest. Episc. P. 2. alleg. 41. n. 12.* MENOCH. *de Præsumpt. Lib. 5. præs. 43. n. 6.* FARINAC. *d. Qu. 49. n. 24.* CRAVETT. *cons. 938. n. 4.* CARD. TUSCH. *concl. 149. Lib. I. n. 8.* MASCARD. *d. concl. 900. n. 16.* SCHNEIDEW. & BORCHOLT. *ad §. item si propter Inimicitias 9. I. de Excus.* BARTOL. *ad L. 3. §. ult. ff. de adim. & transf. legat. & ad L. 13. ff. de Testib.* CARPZ. *Pr. Cr. Qu. 120. n. 44.* Quando scil. aliquis alterum ejusmodi criminis incusat, cujus pœna vel

Caussa Inimic. Capit. præsumpta est. (1) *Accusatio in caussâ capitali.*

vel eſt mors naturalis, vel civilis, vel etiam infamiæ CRAVETT. *d. conſ. 988. n. 39. & 40.* FARIN. *d. q. n.* 27. Quod ipſum aſſertum ſicuti quantum ad accuſationem calumnioſam, quâ quis de falſo crimine defertur, lubentes admittimus, vid. *ſupr. th. 13.* Ita ſi amore ſalutis publicæ, cujus intereſt delicta puniri, *L. 13. ff. de Offic. Præſ.* accuſatio flagitioſi ſuſcipiatur, de eo nonnihil dubitamus: Verſatur enim ſic Accuſator in actu licito, in actu Reipubl. maxime ſalutari, *L. Eum qui nocentem 18. ff. de Injur.* ibique DN. PRÆS. *in Diſſ. ad d. L. membr. 2.* Unde non videbatur ſiniſtra de eo concipienda opinio; Quicquid tamen hujus rei ſit, adhuc putamus, Inimicitiæ Præſumptionem militare contra Accuſatorem: Neque enim Amor Reipubl. quo ad accuſandum fertur, præciſe excludit odium Perſonæ accuſatæ, quippe quam vel ideo deteſtatur Accuſans, quod ſit vitioſa: Et niſi Accuſator Inimicus eſſet Accuſati, cur ergo ex commiſeratione non abſtinuit ab accuſando? Unde ſi quis ex neceſſitate officii aliquem accuſaret, aliud tandem diceremus, non etiam, ſi ſponte, per *L. 2.* ibi: *Inter voluntariam accuſationem & officii neceſſitatem C. de Calumniat.* vid. DN. PRÆS. *d. Diſp. membr. 3. n. 31.* MAGNIF. D. STRYK. *in Diſp. de Neceſſitate Officii Cap. 4.*

XX. Sic itaque evicta Inimicitia illius, qui aliquem accuſat in cauſſa Capitali, non incongrue quæritur: An illa Inimicitia etiam poſt litem finitam durare præſumatur? Loquimur autem hic, ut antea præoccupavimus, non de accuſatione calumnioſa atque injuſtâ, quippe quam poſtea quoque durare ſupra diximus *th. 17.* Add. MENOCH. *Lib. 5. Præſumpt. 43. n. 7.* Sed juſta, & amore Reipubl. inſtituta; Et præſumi hac finita ceſſare Inimicitiam putamus; Licet enim ex præterito in præſens præſumatur; AUG. BARBOS. *Lib. 14. c. 70. Ax. 1.* Fallit tamen hoc, ſi cauſſa, cui iſta præſumptio innititur, concidat; Nam ſic ſublata cauſſa merito etiam ceſſat ejus effectus. Conſentiunt nobiſcum DECIAN. *in Tr. Crim. P. 1. L. 5. Cap. 25. n. 44.* FARIN. *d. Quæſt. Q. 49. n. 27.*

An hæc Inimicitia finita lite durare præſumatur?

XXI.

(2) Testimonii dictio in caussa Capitali.

XXI. Sequitur II. Causa Inimicitiæ Capitalis Præsumptæ, *Testimonii* scil. *dictio in caussa Capitali :* CRAVETT, *cons.31.n.3.* & *cons 988.n.39.* MENOCH. *de A. J. Q. cas. 487.n.5.* BLANCH. *de Indic, n. 152.* MASCARD. *de Probat.. concl. 900.n. 17.* BARTOL. *in Auth. si testis C. de Testib. n. 10.* & *ad L.3.* & *10. C. eod.* FARIN. *d. Qu. 49. n. 76.* BARBOS. *ad c. Meminimus 13. de Accusat.* Quæ tamen non aliter quoque Testem arguit Inimicitiæ Capitalis, nisi is sponte contra alterum deposuerit: Nunquam enim non, qui sponte semet ingerit Testimonio dicendo, sinistra laborat opinione, *arg. L. 25. ff. de Procur.* B. BRUNNEM. *ad Wesembec. tit. de Testib. Qu. 6.* Add. BLANCH. *d. Tr. n. 154.* Aliud ergo, si quis coacte Testimonium perhibuisset, cum in facto coacto nullus præsumatur dolus, nulla animi perversitas. Sed num etiam coacte præsumitur perhibuisse, qui ad perhibendum à Judice citatus comparuit, & Testimonium perhibuit? Et quamvis hoc porprie dici non possit, cum nulla præcesserit violentia : quatenus tamen violentia sequi potuit, & Judex non comparentem cogere, omnino id ipsum adfirmamus. Et talis ergo non poterit dici Inimicus Capitalis, quia, qui jubente Judice aliquid, quod non est aliàs illicitum, facit, extra omnem videtur esse dolum. *L. 167. §. 1. ff. de R. J.* TIRAQVELL. *de Pœn. temper. causs. 34. n. 4.*

Nisi sponte prolata

(3) Actio de bonis omnibus, aut majori eorum parte intentata.

XXII. Progredimur ad III. Caussam, quæ est, *Actio de omnibus bonis, aut majori bonorum parte intentata :* Nam & hinc in Actore Inimicitiam Capitalem præsumunt BARTOL. *ad L. 3. ff. de adimen. Leg.* BALD. *ad L. Athletæ §. dant remissionem ff. de Excus.* SALYCET. *ad L. 16. C. de Excus. Tut.* MENOCH. *de A. J. Q. cas. 110. n. 3.* MASCARD. *d. concl. 900. n. 7.* CRAVETT. *cons. 387. n. 20.* PEREZ. *ad Tit. Cod. de Excus. Tut. n. 5.* CARD. TUSCH. *concl. Pract. 149. lit. I. n. 6.* CARPZ. *in Pr. C. Qu. 120. n. 45.* THESSAUR. *Dec. 61. n. 4.* COTHMAN. *Vol. 3. Resp. 30. n. 61.* Idque tum ob *L. 21. pr. ff. de Excus. Tut.*

§. 4.

§.4.I.eod.&c. 1,verſ.illum de Reſtit. Spoliat. in 6. & Conſt. Crim. art. 26.verb. Um groß Guthrechtet/ &c. tum etiam quia cauſſa bonorum dicitur cauſſa vitæ, in *L.14. C de Advoc. diverſ. Jud.* Conſ. *ſupr. th. 13. in fin.* Imo major ferè pœna videtur amiſſio bonorum omnium, quam mors, *arg. L. 5. §. 1. C. ad. L. Jul. Maj.* CHRISTOPH. CRUS. *de Indiciis Delict.p. 1. Cap. 9. n. 10. & 11.* Add. BACHOV. *ad* WESEMBEC. *tit. Excuſ. n.3. verb. Inimicitiæ.* Quod ipſum licet extra omne dubium poſitum, ſi actionem ſupponamus calumnioſe motam, utpote: ſi quis alterius ſe ſimulaverit Creditorem, ut eum pecunia emungeret, *&c.* Quodſi tamen de actione loquamur juſte intentata, non adeo hoc certum atque indubium. San jure ſuo ſic utitur Creditor, neque ex alia cauſſa, ut ſuum conſequatur, videtur actionem inſtituiſſe; Qua ratione itaque hinc Inimicitiam Capitalem colligemus? Id quod perſpexiſſe videntur Ddres allegati ab *Honded. Conſ 107. n,3. 6.* Verum ſi ſingula accuratius ponderemus, nihilo minus non penitus ab omni Inimicitiæ ſuſpicione immunem credimus Actorem, etiam in Jure fundatum. Quis enim neſcit, optimum quemque exſecrari lites, etiam judicales, nihilque magis in votis habere, quàm, ut, quantum fieri poſſit, quam longiſſimè ab illis ſit remotus? *L. item ſi res 4. §. 1. ff. de alien. Judic. mut.* Quodſi ita eſt, ut omnino eſt, quis non iraſceretur moroſo ſuo Debitori, quem precibus boniſque verbis commovere nequit, ut accepta reſtituat? Quis non in eum odium deflecteret, cum quo moleſtam procedendi in Judicio viam ſubire neceſſum habet?

XXIII. Neque eſt, quod quis dicat: Hoc tamen odium non ſtatim Capitale dicendum. Concederem enim illud, ſi ex ſola animi acerbitate & rancore æſtimatio Inimicitiæ Capitalis dependeret; Verum cum hoc non ſit, ſed præter intenſiorem animi commotionem, etiam ad objectum gravius ac pretioſius in dijudicanda Inimicitia Capitali ſit reſpiciendum; in hoc vero caſu odium verſetur circa rem, quæ alicui jacturam bonorum inferre poteſt, non immerito illud pro Capitali habemus. *An hæc Inimicitia ſtatim Capitalis dicenda?*

 Quam-

Quamvis autem sint, qui potius Quasi Capitale hoc odium appellare velint. uti CARRER. *in Tr. de Indic. §. quantum Iudicium sub. n. 14. Crus. d. Tr. de Indic. Delict. P. 1. Cap. n. 11* & alii passim, illi tamen in effectu à nobis non dissentiunt: Saltem nonnihil strictiùs vocabulum τὸ Capitale accepisse videntur, sicque Inimicos propriè Capitales dixisse, qui vitæ alterius insidiantur, ac naturale hominis Caput appetunt; Quasi Capitales verò, qui caput Civile petunt, aut bona ac famam alicui auferre conantur: Conf. *supr. th. 5.* Quâ quidem in re facilè quemvis suo permittimus abundare ingenio, præprimis cùm vox *Quasi* nunquàm ferè in Jure nostro essentiale aliquod ipsius rei inferre soleat discrimen. Vid. *D.* LINK. *in Disp. de Syncategoremate Quasi.*

Procedit hoc in Iudiciis non solùm petitoriis, sed etiã possessoriis.

XXIV. Cæterùm non tantùm in Judiciis petitoriis procedit hæc conclusio, sed etiam possessoriis. Quod quàmvis inficias eat BLANCH. *de Indic. n. 128.* ob id, quòd de modico hîc agi putet præjudicio; Malè tamen nostro Judicio: An enim modicum præjudicium, ubi agitur de universæ possessionis privatione? Vid. FARINAC. *d. Qu. 49. n. 12.* Et quis nescit, quòd majori longè vehementiâ, majori impetu concertare soleant litigantes in possessorio, quàm petitorio, adeo ut non rarò ad arma hic deveniant, sibique ipsis jus dicere non vereantur, prout constat ex *L. Si quis in tantam 7. C. Unde vi.* Add. *Crus. d. Cap. 9. n. 11.* Unde extraordinariè olim in his caussis jus dicebatur, *t. t. I. & ff. de Interdict.* Adde, quòd ut plurimum Judicia possessoria præcedat violenta aliqua expulsio, aut turbatio, ut adeò multò magis animo irritato atque incenso ad Interdicta convolent, inimicitiasque concipiendi caussam habeant.

Et durat finita lite.

XXV. Num autem hæc Inimicitia finitâ licet lite, nihilominùs adhuc durare in Actore præsumatur, non inconcinnè iterum hîc quæritur? Et, si calumniosus fuerit Actor, nullum de eo, ut supra *th. 17.* diximus, dubium: Hic enim ex condemnatione atque pœnâ calumniæ impositâ, novam concipiet

vindictæ

vindictæ cupidinem; sed & idem adhuc puto in Actore, victoriam reportante, post tot præsertim litium ambages, tot difficultates: Ferè namque semper molestè ferre solet, qui bonitate caussæ fretus, brevissimum sibi pollicitus processum, quòd tanto intervallo litigare necessum habuerit, non sine gravissimo temporis, quo tamen nihil pretiosius, atque impensarum dispendio. Rariùs enim victores, omnes, utplurimum nullas, vel ad minimum paucas recuperant impensas, præsertim si victus probabilem habuerit resistendi caussam, *L. Eum quem temere 79. ff. de Judic.* BLANCH. *d. l. n. 133. seqq.* quem allegat & sequitur FARINAÇ. *d. Qu. 49. n. 6.* Neque obstant supra *th. 20.* de Accusatore tradita, quòd scil. hujus odium cessare præsumatur finitâ accusatione; Quoniam alia ratio est Actoris, alia Accusatoris, alia Actionis, alia Accusationis, prout cuilibet negocium ipsum intuenti est in propatulo.

XXVI. Succedit IV. Inimicitiæ Capitalis præsumptæ caussa, nim. *Quæstio status alicui mota.* *L. 14. pr.* ibi: *Capitis accusaverit ff. de bon. Libertor.* & *arg. §. 12. I. de Excus. Tut. L. 9. §. fin. ff. de his, quæ ut indign.* BALD. *ad L. 3. ff. de Jurisd.* MASCARD. *d. sæpius concl. 900. n. 6.* CRUS. *d. Cap. 9. n. 11.* ACCVR. *ad Nov. 90. c. 6.* CVIAC. *ad. d. l. 9. §. fin. ff. de his quæ ut indign.* MENOCH. *L. 5. præs. 42. n. 2.* BARBOS. *in Tr. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. alleg. 41. n. 1.* Dicebatur autem illi quondam status quæstio mota, cujus status vel conditio civilis in dubium vocata, utpote, sic cum liber esset, in servitutem fuerit petitus, *d. L. 14. pr. ff. de bon. Libert.* Quæ res, cùm miserrimam conditionem inferret alteri, non poterat non exinde illius, qui talem alterius conditionem appetebat, odium præsumi perniciale; quinimò si manifesta esset calumnia petentis, manifesta satis ac vera hinc patescebat Inimicitia. Sed cum hodie, sublatâ fere servitute, parum ad nos hæc Status Quæstio, operam perderemus, si plura de eâ proferremus; Illud tamen, quâ usum hodiernum, adhuc

(4) Quæstio Status mota.

Applicatur

hoc hodiernis Hominibus propriis.

adhuc quærere lubet; An non, qui hominem proprium, quales passim reperiuntur in viciniâ, in servitutem revocat, ejus præsumatur Inimicus Capitalis? Quod adfirmare non dubito: Cum enim libertas res sit inæstimabilis, *§. fin. l. Qui & ex quib. caus. manum. lic.* Conditio verò hominis proprii servituti pristinæ maximè sit gemina, *Husan. de Homin. propr. cap. 6. n. 28. & seqq.* Quanta, quæso, pernicies infertur illi, cujus status hac ratione labefactatur? Sanè gravis è Regno in servitutem casus est. Neque aliud dicendum putarem de illo, qui Nobilitatem alicujus in dubium vocaret: Aut enim calumniandi & detrectandi animo id faceret, aut diffamationem liquidò probaret; illo casu clarus esset animus hostilis; hoc verò præsumeretur, quòd nemo non censeatur detestari illum, qui superbè affectat, quod in rei veritate non est.

(5) *Advocatio seu Procuratio in Causâ criminali.*

XXVII. Et sic ad V. nunc devolvimur Inimicitiæ Capitalis præsumptæ Caussam, quam elicere volunt ex *Advocatione & Procuratione in Causâ Criminali*, ita ut illum, qui Accusatori in formandâ accusatione assistit, præsumant Inimicitias Capitales concepisse contra Accusatum. GLOSS. *ad L. 1. §. 3. & 4. ff. de Calumn.* & *L. Post Legatum 5. §. hic verò 10. ff. de his quib. ut indign.* FARINAC. *d. Qu. 49. n. 73.* BLANCH. *de Indic. n. 138.* Quo quidem stante, quot non fovebit Inimicitias solertissimus quisque Advocatus, qui clientum turbâ abundat? Ut adeò nec mirum cuiquam videri debeat, tot odiis atque calumniis expositos esse Advocatos. Quamvis, si tritum illum sermonem, quem toties jactitare solent ipsi Advocati, sequi velimus: Der Sachen Feind / der Leute Freund / non minimum enervetur hæc Præsumptio. Et sanè, si dicendum, quod res est, prudens Advocatus, prout suis commodis præcipuè cavere debet & solet, hanc suspicionem odii suscepti laborat abs se modis amoliri quibuscunque, quippe cujus quam maximè interest, odisse neminem, humanitatisque famâ florere, ut adeo, si caussa civilis, in quâ contra alterum

Patro-

Patrocinium præstitum, vix quicquam sinistri de Advocato præsumendum, nisi alia concurrant indicia. Vid HONDED. *Conf.* 117. *n.* 13. *seqq.* Sed quid, si causæ criminales? Hic certe ipsa causæ qualitas efflagitat, ut Advocatus suam prodat indignitatem, ut crimina accusati mordaci calamo perstringat, ut pœnam urgeat, & Reum invisum reddat; quidni ergo Inimicitia Advocati Capitalis præsumeretur? Vid. DECIAN. *Tr. Crim. p.* 1. *L.* 1. *cap.* 25. *n.* 18. Cum etiam is, qui cum Inimico meo Capitali conversatur, ut hoc casu Advocatus cum Accusatore, meus pariter censeatur Inimicus Capitalis. Vid *infr. th.* 30. Multum quidem in contrarium urgent L. 14. §. 9. *ff. de bon. Libert.* ibi: *Si Patroni filius advocationem accusatori liberti præstitit, non est repellendus: Neque enim Advocatus accusat*; Verum bellissime hoc limitat GOTHOFR. *in not. ad d. L. lit. d.* & restringit ad Advocationem necessariam, utpote in qua propter officii necessitatem omnino cessabit Præsumptio Inimicitiæ Capitalis, prout clare satis indicat *L.* 5. §. 13. *ff. de his, quæ ut indign.* Non etiam in Advocatione voluntaria. Conf. *supr th.* 21. *Nisi sit necessaria.*

XXVIII. Sed quid de Judice dicendum, an ille sententiam contra aliquem ferendo, ejus præsumitur Inimicus Capitalis? Et quidem si *injusta* sententia, & res de qua lata, alicujus momenti, facile id ipsum concedo, cum hac ratione ex injuria alteri illata satis manifestæ sint Judicis Inimicitiæ; Ast, quid si sententia *justa* ac Legibus conformis? Sunt, qui hoc casu extra omnem Inimicitiæ suspicionem ponunt Judicem in Caussa civili, inque Processu Accusatorio, vid. DECIAN. *d. L.* 3. *cap.* 23. *n.* 60. Non etiam in Processu Inquisitorio, quod in hoc Accusatoris partes subeat Judex, hincque ad instar Accusatoris præsumatur Inimicus inquisiti, cum surrogatum sapiat naturam illius, cui surrogatur, *arg. L.* 28. §. 1. *ff. de Cond. & Demonst.* & *L.* 32. *ff. de Jur. Dot.* Verum non video, cur non etiam in processu Inquisitorio Judex à præsumptione Inimicitiæ Capitalis sit absolvendus? Nec enim Judex inquirens proprie, sed κατὰ χρῆσιν Accusatoris partibus dicitur fungi. CHRISTOPH. *An Judex contra aliquem pronuncians, ejus præsumatur Inimicus Capitalis?*

CRUS *de Indic. Delict. P. 1. Cap. 9. n. 12.* Non igitur ab Accusatore ad Judicem procedet argumentum. Accedit, quod Accusator sponde accuset; Sed Judicem ad inquirendum compellat necessitas, *L. Congruit 13. ff. de Offic. Praes.* Est siquidem viva Justitiae Imago & Lex animata; Ecquid autem justitiae magis reluctatur, quam injuria? Quid saluti Reip. cujus salus suprema Lex est, magis magisque conducit, quam punire facinorosos, vindicare Justitiam violatam Unde communia & trita Brocardica: Reipubl. interest, ne delicta maneant impunita, imo turbantur laetitiae & gaudia hominum, quotiescunque criminosi dimittuntur impuniti. *L. 3. C. de Episc. audient.* CRUS. *d. cap. 9. n. 14.*

An ille, contra quem lata sententia, praesumatur Judicis Inimicus Capitalis?

XXIX. Annon autem ille, contra quem lata sententia, Odium Capitale praesumitur concepisse adversus Judicem? Adfirmant hoc plerique Ddrum, non tantum si sententia caussam criminalem concernat, verum etiam si amissionem omnium bonorum, aut maximae eorum partis, vid. FARINAC. *d. qu. 49. n. 62.* Sed non omni penitus dubio hoc ipsum carere videtur. Equidem non ignoramus, quod tenacem saepius homines illorum, quae contra voluntatem patiuntur, foveant memoriam, licet ipsi haud raro hujus suae fortunae exstiterint fabri; Neque in Inimicitia Capitali praesumenda, tam inspiciendum esse, an ex parte alterius justa Inimicitiae caussa data quam in genere, an talis data, quae possit animum ad iracundiam provocare; BARTOL. *ad L. 1. ff. de his, quae ut indign.* RITTERSHUS. *ad Nov. P. 9. Cap. 6. n. 96.* Obstare tamen his omnibus videtur, quod unusquisque se submittere censeatur legibus, & aequo animo agnoscere Judicis sui arbitrium, ut adeo non possit praesumi Inimicitia illius, qui juxta Leges condemnatus. Putamus igitur tunc demum procedere illam Ddrum conclusionem, si alia concurrant indicia, ex quibus haud obscure pateat, quam moleste tulerit sententiam condemnatus, utpote, si ab ea appellasse, si exsecutionem invitus & reluctans admisisset, &c. FARINAC. *d. Qu. n. 68.* Alioquin, si sponte adqui-

quieverit sententiæ, non poterit ex eo solo, quod adversa fuerit, præsumi aliqua Inimicitia, cum forsan caussæ Injustitiam agnoverit condemnatus, sicque jure suo, quod habere videbatur, lubens cesserit.

Præsumitur etiam Inimicit. ex conversatione atque amicitia cum Inimico Capitali.

XXX. Atque hæc de Actibus Judicialibus sufficiant, quatenus ex illis præsumatur Inimicitia Capitalis; Restat, ut unicum adhuc actum Extrajudicialem adjiciamus, unde similiter colligitur Inimicitia, est: *Conversatio atque Amicitia cum Inimicis nostris Capitalibus.* *c. 3. III. q. 5. c. Repellantur 7. & c. cum oporteat 19. X. de Accusation. Bald. in L. liberi 28. n. 3. C. de Inoffic. Testam.* BARTOL. *in L. tutor. 3. §. suspect. 12. de suspect. tut.* SALYCET. *in l. un. C. de raptu Virgin. n. 10. Mascard. concl. 900. n. 31. & 39.* CARD. TUSCH. *concl. 140. in pr. Lit. I.* CRAVETT. *cons. 386. n. 1.* HENOCH. *de Præs. Lib. 5. præs. 42. n. 12.* CUIAC. *ad Lib. 5. tit. 3. Sentent Pauli* SCHNEIDEW. *ad §. 2. I. de Injur.* BARBOS. *ad c. quicunque 11. de sentent. excomm. in 6. post alios quos allegat.* WESEMBEC. *P. 3. Cons. 116. n. 12.* Intelligimus autem amicitiam proprie sic dictam, magnam & continuam, *arg. L. 28. in fin. C. de Inoff. Testam. & c. un. 2. F. 57.* quæ ita comparata est, ut idem velint Amici, idem nolint. BARBOS. *in Thesaur. Locupl. L. 1. Cap. 57.* Hæc enim, si cum Inimico nostro Capitali intercedat, nullum dubium est, quin præsumptionem inducat Inimicitiæ, etiam nobiscum contractæ juxta vulgatum illud:

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.

Et pares cum paribus facillimè conjunguntur. Vid. ALEXAND. *Vol. 1. Cons. 99. n. 4.* Saltem an ad Capitalem usque se extendat hæc præsumptio, nonnihil dubium. Negant illud FARINAC. *d. Qu. 49. n. 61.* MASCARD. *de Probat concl. 900. n. 28.* aliique. Neque etiam τὸ Capitalis in allegatis LL deprehenditur: Sed si tanta in istâ conjunctione adsit familiaritas, ex qua societas consiliorum & conspiratio quædam colligi possit, quidni etiam Odium Capitale, præsumi posset in ipso amico

amico inter Jure noſtro poſito, Capitalis illa plerumque intelligenda, ſi effectus eminentior ex ea ſequi debeat. GOTHOFRED. *in not. ad L. 3. pr. de Teſtib. lit. l.*

Item ex conſangvinnitate & affinitate cum Inimico. XXXI. Eodem fere modo ſe res habet cum Conſangvineis & Affinibus Inimici mei Capitalis: Nam & hi præſumuntur mei Inimici. ANTON. FABER. *in Cod. Saband. L. 3. tit. 4. def. 4.* Licet enim rara dicatur inter Fratres concordia; attamen nemo quam carnem ſuam odio habuit aut habere creditur: Unde Fratis mei Inimicum & ego odio proſequi recte præſumor: Quamvis ad ſeptimum usque gradum hanc Inimicitiam extendere velle inhumanum ſit, & fere diabolicum. *Magnif.* DN. ZIEGL. *in Dicaſt. concl. 13. §. 37.* Sicut nec ſtatim Vatinianum hoc odium dicendum, niſi injuria, quæ illud excitare cenſetur, in me quoque redundet, *arg. ſſ. 2. & 3. I. de Injur.* Conf. BALD. *in L. un. C. de Rapt. virgin.* BARTOL. *in l. Lex Cornelia ff. de Injur.* CRÆVETT. *Conſil. 41. n. 3* & *Conſ. 119. n. 1.* CARD. TUSCH. *concl Pract. 156 lit. l.* BARBOS. *ad c. quicunque 11. de ſentent. excomm. in 6.* CUJAC. *ad Lib 5. tit. 3. Sentent. Pauli.* SCHNEIDEW. *ad ſ. 2. I. de Injur.* Aut conſangvinitas vel affinitas tenerrimo aliquo amore ſit devincta; Et ſic tandem admitto, quod in Mariti conjunctis ſupr. *th.* 16. fuit negatum.

An Inimicitia Capitalis Paſſiva, præſumatur Activa? XXXII. Miſſis nunc cauſis, unde præſumatur Inimicitia Capitalis Activa, paucis adhuc de Inimicitia Paſſiva dicendum. Et primo quidem non immerito quæritur: An non etiam omnis Inimicitia Capitalis Paſſiva, præſumatur Activa? Quod adfirmandum utique putamus, cum nemo facile Inimico bene velle credatur, *arg. L. 9. pr. ff. Quæ ut indign.* Nec quisquam tantæ præſumatur vecordiæ, ut illum ſibi Amicum aut non infeſtum fingat, quam ipſe acerrimo odio proſequitur, juxta illud:

Ab alio exſpectes, alteri quod feceris.

Admodum enim propenſi ſunt homines ad Jus tallionis exercendum, nihilque altiores in Natura humana radices egit, quam

quàm Vindictæ cupiditas, quod agnoſcit Poëta canendo:

Eſt vindicta bonum vitâ jucundius ipſâ.

Et quàmvis hominibus nihil minùs conveniat, quàm Vindicta, quippe quæ ſolius DEI propria eſt, prout ipſe candem ſibi vendicat: ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, & hinc in homine non videatur præſumenda; Malus tamen omnis facilè ſuſpicax, & mala, quæ infert, timet ab altero, licet optimus quisque alius de altero benè præſagiat, nec facilè ſiniſtram de quoquam concipiat opinionem.

XXXIII. Atque hoc eſt, quòd Inimicitia ad Prædicamentum Relationis à Philoſophis referatur, ad quod duo diſtincta ſubjecta ſimul exſiſteutia requiruntur. THOM. SAGIT. *in axiom. Log. Cent. 3. Dec. 8. Ax. 8.* Ut ſit non tam in caſu, quo alterum ſubjectum activæ, alterum paſſivæ Inimicitiæ dicitur, quàm quo in utroque ſubjecto Inimicitia Activa, ſeu mutua eſſe contenditur: Paſſiva enim ſemper præſumitur Activa fieri, quamprimùm ſc. quis ſe Inimicitiam ab altero pati deprehendit, quoniam relata ſe mutuò ponunt, debentque inter ſe reciprocari. SAGITTAR. *d. Cent. 3. Decur. 9 Ax. 2.* Hinc itaque facilis eſt reſponſio adfirmativa ad Quæſtiones: An is qui ſe alterius Inimicum profeſſus, Jure de altero reciprocum odium præſumat? An ejus, qui mihi ſtruxit inſidias, Inimicus præſumar Capitalis? An Fur ac ſpoliator bonorum meorum, item: An injuriam mihi inferens atrocem, meum odium timere neceſſum habeant? Illud tamen non inficior, quòd licet ex unâ parte vera ſit Inimicitia, ab alterâ nihilominùs poſſit eſſe falſa: Quæ etiam cauſſa fuit, cur inter præſumptas collocare libuerit has Inimicitias: Dantur enim ejusmodi Pectora Generoſa, quibus turpe eſt odium reciprocare, atque injuriæ vindictam appetere; Interim tamen reciprocare præſumuntur, donec per contrarias probationes ſemet purgaverint.

An quis Inimici ſui Veri præſumatur Inimicus?

D XXXIV.

An Inimici Præsumpti Passivi? XXXIV. Idem modus præsumendi licitus erit, etiam in subjecto Inimicitiæ Præsumptæ Passivo, ita, ut accusatus præsumatur odium retorquere in Accusatorem: Is, in quem testimonium dictum, in dicentem: Reus, de omnibus bonis, aut maximâ illorum parte, conventus, in Actorem ejusque Advocatum, *&c.* Quæ Præsumptiones cùm oriantur ex Injuriâ putativè illatâ: Justè an injustè nihil refert, RITTERSHUS. *ad Nov. P. 9. cap. 6. n. 96.* nondum amotæ censentur, postquam probatum, injuriam revera non esse illatam, sed tunc demum, cùm constat, illa facta alterum pro injuriis non reputâsse.

In Inimicit. Capital. dijudicandâ multum valet Arbitrium Judicis. XXXV. Quæ omnia cùm clara sint, ulteriùs non diducimus; Illud tamen antequàm Inimicitiarum Capitalium caussas plenè mittamus, ultimò adhuc monemus, quòd, cùm odia ex animo descendant, hic verò non in omnibus idem sit, nec per eadem indicia externa se in omnibus æquè prodat, in dijudicandâ Inimicitiarum gravitate, utramque ferè paginam faciat sagacis Judicis arbitrium, *arg. L. 1. §. 2. ff de Jur. delib.* CARPZ. *in Pr. Crim. Qu. 120. n. 46.* Hic igitur non cœco statim ductu allegatis indiciis inhæreat, sed probè dispiciat, an talia sint, unde Inimicitia Capitalis jure colligatur, & num etiam manifestò satis sint probata. ALDOBRAND. *ad §. 11. I. de Excus. Tut. n. 12.* ROSENTHAL. *de Feud. Cap. 10. concl. 17. n. 33.* Examinet itidem, annon contraria Indicia appareant fortiora: Inquirat in illius, qui fertur Inimicus, vitam anteactam, conditionem & qualitatem: Sanè ad odium propensiores censentur fœminæ, quàm masculi: Attendat quoque mores locorum: Non enim eadem facta ubique pariter ignominiosa, odiumque excitantia: Imò si quæ aliæ circumstantiæ occurrant, easdem providè observet: Quâ ratione non difficile erit, an Inimicitia Capitalis ex aliquo facto nata, vel non, dijudicare. Vid. MENOCH. *de A. J. Qu. Lib. 2. cas. 110.* DECIAN. *Tr. Crim. P. 1. L. 3. Cap. 25. n. 36.* MASCARD. *de Prob. concl. 900. n. 25. & 44.* ALDOBRAND. *d. l. n. 29.* FARINAC. *d. Qu. 49. n. 86.*

XXXVI. Sed, dixeris, quid, si hæc omnia attenderit judex, nondum tamen satis constet de Inimicitiâ Capitali, an non, si allegans jurare velit, se firmiter credere, alterum esse Inimicum suum Capitalem, erit admittendus? Et non puto admittendum, in causâ præsertim graviori: Siquidem nemo alterius sinistrâ opinione sine sufficienti causâ gravandus, *arg. L. 74 ff. de R. J.* Et quis scit, cùm juraturus jam magis Inimicus præsumatur, an non ex mero odio ad jurandum semet offerat, saltem ut alter suspicionem apud alios incurrat, ipse verò effectu Inimicitiæ Capitalis gaudeat: Accedit, quòd Præsumptio jam tum sit medium probandi Extraordinarium, cui si alterum, sc. juramentum, accederet, duo singularia cumularentur, quod Juris nostri ratio non admittit, *arg. L. 1. C. de dot. promiss.* BARBOS. *in Thes. Loc. L. 17. cap. 35. Ax. 2.* De Judice quidem suspecto constat, quòd, si pars illum suspectum esse, liquidò probare non possit, in supplementum admittatur ad Juramentum Perhorrescentiæ, quo jurat se credere, se non posse à Judice inferiore æquam atque incorruptam impetrare Justitiæ administrationem. *c. 11. §. 1. de Rescript. in 6.* Dn. LAVTERB. & FELTMANN. *de Juram. Perhorresc.* Verùm hoc, quia defectus Judicis facilè per Judicem Superiorem, aut Commissarium suppleri potest, admittitur; id quod in aliis non æquè facilè procedit.

An, si Judici nondũ satis ex Indiciis constet de Inimicit. Capitali, allegans possit illam juramento confirmare?

XXXVII. Atque sic nunc ad *Subjectum* progredimur Inimicitiæ Capitalis: Repetendum verò hic ex præcedentibus, quòd subjectum Inimicitiæ Capitalis duplex sit: *Relatum* sc. & *Correlatum*, quorum hoc etiam commodè includit Passivum: Non secus atque Amicitia, quæ nunquam est hominis solitarii, utut amor vel odium unius tantùm possit esse subjecti, nec pertineat ad amoris vel odii essentiam redamari, aut vicissim ab altero odio haberi; benè tamen ad essentiam amicitiæ vel Inimicitiæ, amor odiumve mutuum: Unde commodè quis dicitur odium in mortuos exercere, sed non Inimicitiam, nisi etiam

Subjectum Inimicitiæ Capitalis.

generaliùs accipere velis vocem: *Odium* utí nos passim fecimus in hac Dissertatione. Quantum itaque ad *Subjectum Relatum*, si in genere supponeremus Inimicitiam, dicere forsan possemus, illud constituere omnes, qui sunt odii capaces, & hac ratione non tantùm Furiosos, atque Infantes non excluderemus, sed ne quidem bruta: Quod enim etiam in hæc affectus cadant, haud facilè negabunt Moralium Ddres. Vid. WENDEL. *in Phil. Moral. L. 1. C. 36. Q. 6.* Verum cum hæc suppositio non habeat effectum, sine scrupulo eam dimittet Ulpianus, potiusque specialius considerabit Inimicitiam, quatenus in Jure usum habet: Quâ ratione jam *Subjectum relatum* erunt: *Omnes homines*, qui rationis usu gaudent, *arg. L. 5. §. 1. ff. de Injur.* *Correlatum* verò *homines simpliciter*, sive rationis usu gaudeant, sive non, *arg. d. L. 3. §. 1.*

Objectum. XXXVIII. Subjectum excipit *Objectum*, quod constituit *Salus* alterius, illaque omnia, in quibus salus illa consistit, qualia sunt Vita, Fama, Bona, corpus atque anima: Hæc enim omnia qui integra habet, de eo bellissimè agi jure dicitur merito; Illius verò Salutem in vitâ civili vacillare quis non diceret, cui vel unum ex his periclitatur? Sed horum explicatio cum dependeat ex illis, quæ supra occasione Caussarum Efficientium attulimus, ideò diutiùs illis immorari nolumus. Potius

Forma. ad *Formam* Inimicitiæ Capitalis descendimus, quæ tamen pariter ex integrâ definitione, quam supra adduximus, desumenda,

Finis. fereque dependet à *Fine*, qui non tantum in aversione Inimici consistit, sed etiam persecutione & pernicie saluti ejus inferendâ: Sola enim aversio simplicem potius denotat Inimicitiam, seu simultatem, uti dicitur in *L. 3. §. 11. ff. de Adimen. & transf. Leg.* quâ congressus hominis cujusdam declino, nec ipsi grave aliquod damnum infero, sed saltem commodis ipsius non inservio, quæ ideo parum in Jure nostro attenditur; Ast *Inimicitia Capitalis* intra hosce terminos non consistit, sed & damna infert insignia, aut ad minimum inferre studet:

Differentia Inimicitiæ Simplicis à Capitali.

ſtudet: Dantur enim, quibus impotentia obſtat, quo minus noceant, & id, quod intendunt, perficiant, Interim tamen impenſe, ut alteri noceatur, precantur, &, ſi ab aliis nocitum fuerit, applaudunt, inque ſinu ſuo gaudent,

XXXIX. Qua occaſione non incongrue quæritur: An non etiam præciſe major & vehementior animi motus requiratur ad inimicitiam Capitalem? Quod non puto: Equidem ira ſuos gradus accipit ex animi commotione; ſed non præciſe odium aut Inimicitia: Licet enim dentur Inimici, in quibus vehementis affectus haud raro ſe conſpiciendam præbeat, dum & oculis ardent, dentibus frendent, inque furorem quaſi convertuntur, cum Inimicus, quo Capitalior, eo magis ſuum ſæpe occultet odium ſpecieque quadam humanitatis adumbret: Sicuti docent odium Simeonis & Levi, contra Hemor & Sichem, *Gen. c.* 34. Item Joabi contra Abner. 2. *Samuel.* 3. & aliorum paſſim: Scilicet, quia hac ratione eo facilius incauto perniciem accelerare poteſt: Ut enim Scopuli marini, qui ſub aquis latent, illis, qui apparent in conſpectu, eminentque, navibus multo ſunt nocentiores; Ita & occultæ Inimicitiæ ſub ſpecie falſæ Amicitiæ latentes, majora dare damna ſolent, ut ex LUCILL. *in Antholog.* L. 2. refert. CRUS. *de Indic. Delict. P.* 1. *Cap.* 9. *n.* 14. *& Cap.* 98. *n.* 6. *An ad Inimic. Capit. præciſe requiratur major animi motus?*

XL. Sequuntur nunc tandem, expoſitis Cauſis, Inimicitiarum Capitalium *effectus*, ubi iterum nobis diſcernere liceat Effectus Morales & Theologicos ab illis, quos Jura noſtra ponunt, illosq; Theologorum & Moraliſtarum comittere indagini; His verò paulo longius inſiſtere; Progrediemur autem in his exponendis à Perſonis ad Res, à Rebus ad ipſa Judicia, dummodò in genere id anteà notaverimus, quod Jura noſtra ſemper fere præſumant: Inimicum de Inimico peſſima cogitare, ſibiq; invicem inſidias ſtruere, ac mala curpere continuo. MASCARD. *de Probat. Vol.* 1. *concl.* 98. *n.* 2. BESOLT. *P.* 3. *Conſ.* 295. *n.* 1. adeo, ut quicquid inter illos geſtum, ex Inimici- *Effectus Inimic. Capitalium.* *In genere*

citia gestum censeatur. B. BRUNNEM. *ad L. un. C. si propt. Inimic. creat. fact. n. 3.* utut aliquam præ se ferat Amicitiæ speciem, *arg. L. 9. ff. Pro Soc.* PRUKMAN. *Cons. 18. n. 23.* Unde fit, ut etiam munera illorum sint suspecta. TIRAQV. *tom. 7. limit. 63. n. 95.* Et nostra permagni intersit, ut quam sejunctissime ab illis vivamus. *L. 1. ff. de Serv. export. L. fin. C. de Pact. int. Empt. & Vend.* & neutiquam nos iis credamus, *c. 4. X. ut lit. non cont.* Excell. DN. FROMMAN. *in Diss. de Inimicit. th. 18. & 19. Quoniam quem metuunt oderunt, quem quisque odit, periisse expetit,* uti ex *Ennio* refert SENEC. *in Oedip. Cap. 3.*

In specie, (1) Effectus est, quod ob illam Dominus cogi possit ad vendendum Servum.

XLI. Quo in genere notato, *Primùm*, ne quid antiquitatis ignoretur, inter speciales Effectus pono, quod *Inimicitia Capitalis inter Dominum & Servum orta, cogat Dominum, ut Servum bonis conditionibus vendat, §. fin. I. de his, qui sui vel al. jur.* Modo Servus fuerit innocens, ac flagitiis suis Dominum ad Iram odiumque non concitaverit. Ex quo colligo, quod, si Nobilis hominem proprium Odio plus quam Vatiniano prosequatur, & crudeliter habeat, cogi possit, ut, si admonitus ab odio ac sævitâ desistere nolit, eundem manumittat. MEV. Von Zustand und Abforderung der Bauren *Cap. 3. n. 77. & seqq.* Quoniam abusus Juris est privatio Juris EXCELL DN. PRÆS. *in Exam. Inst. tit. de his, qui sui vel al. jur. Qu. 10.*

Applicatur hoc hominibus propriis.

Nec mirum alicui videri debet, quod Nobilis statim ad manumissionem hominis proprii hodie compellatur, cum tamen Dominus tantum ad venditionem servi olim fuerit coactus: Hoc enim, ut auguramur, inde est, quod homo proprius excepta gleba hodie pro libero reputetur homine; STAMM. *de Servit. Person. L. 3. c. 17.* adeoque non possit vendi; *L. 6. pr. ff. de Contrah. Empt.* Quod secus olim erat in servis.

(2) Quod Patronus Libertum

XLII. *Secundus* Effectus esto, quod *Patronus Libertum ob Inimicitiam Capitalem in Servitutem re-*

vocare

vocare possit, *L. 2. 3. & 4. C. de Libert. & eorum libr.* Conf. CARD TUSCH. *Concl. Pract. 148. Lit. I.* PEREZ. *ad. d. tit. C. n. 1.* Modo Libertus ad illam inimicitiam concipiendam non fuerit per injuriam Domini compulsus: Nam sic iniquum esset, ut ex dolo atque culpa sua lucraretur Patronus. *L. 1. ff. de dol. mal.* Quamvis vero DD. caussam revocandi libertatem magis in ingratitudine, irreverentia atque nequitia Servilis ingenii ponere soleant *arg. L. 3. & 4. C. de lib. eorumque liber.* Eodem tamen etiam Inimicitiam Capitalem, utpote, quæ satis magna irreverentia est, referendam esse, non est, quod multum ambigamus, præsertim in casu jam obsoleto. Vid. tamen *L. 6. §. 1. ff. de agnosc. & al. liber.* Saltem hoc, quantum ad Praxin, addere lubet: An homo proprius semel manumissus possit postea ob Odium Capitale exortum revocari, dataq; libertas irritari? Et, si ex liberali Voluntate in ipsum collata libertas, non omnino displicet adfirmativa; Cujus tamen rationem non ex antiquo Libertinitatis Statu depromendam censeo, cum homo proprius post manumissionem in talem statum non redigatur, ut manumittentem teneatur Patronum suum agnoscere & revereri; sed potius omne vinculum omnisque neque nexus per manumissionem solutus censeatur. Verum ex natura donationis, quæ, licet perfecta sit, ob atrocem tamen injuriam Donatarii revocari potest, ut constat, ex *L. fin. C. de Revoc. Donat.* Add. HENR. BOCER. *de Donat. Cap. 3. n. 92.*

in Servitutem revocet.

An hoc procedat in hominibus?

XLIII. *Tertius* Effectus conspicitur *in rescindendâ Liberorum Emancipatione.* In aprico enim est, quòd Parens filium emancipatum non possit iterum pro lubitu constringere nexu Paterno, sed demùm, si Parentem vel acerbitate convicii, vel cujuscunque atrocis injuriæ dolore pulsaverit, & sic Capitale Odium adversus eum conceperit. *L. un. C. de Ingr. Liber.* ibique *Gloss. Salycet. Perez. & Cujac.* L. 4. *ff. de Obsequ. Parent. & Patron. præst.* Cardin. TUSCH. *d. Concl. 148. lit. I.* Sed dice-

(3) Quod Emancipatio liberorum rescindatur.

diceres: quænam hæc pœna fuit, filium ingratum atque Inimicum sub Patriam Potestatem revocare, nonne satius, Inimicum habere quàm remotissimum, nonnè plus pœnæ involvit, si Parens istius filii curam penitùs abjecerit, cumque non ampliùs pro filio agnoverit? Puto rationem revocandi in eo consistisse, quòd filio per illam revocationem multa jam jura adimantur, utpote: quòd sine consensu Patris nuptias contrahere, *pr. I. de Nupt.* aut testamentum condere nequeat, *pr. I. quib. Testam. fac. non est perm.* quòd Pater recipiat plenum Usum fructum bonorum filii, quòd lucrum filius Emancipatus hactenus ex parte tantùm habuerat, *§. 2. I. Per quas Pers. cuique acquir.* &c. Verum cum hodiè rarius ita, uti olim, fiat Emancipatio, sed communiter liberi tacitè emancipati esse censeantur, postquam nuptias contraxerunt, & separatam oeconomiam instituerunt; MEV. *ad Jus Lubec. L. 1. tit. 3. n. 24.* Hi verò revocari rursus haud possint, etiamsi irreverentiam aliquam commiserint, non opus erit, in hoc effectu declarando nos exhibere prolixiores: Putaremus tamen, quòd, si Parens filium cœlibem, quem emancipâsset, ingratum expertus fuisset, illum utique revocare posset. *arg. L. Sancimus 27. C. d. Testam.*

(4) *Quod Sponsalia dissolvat.* XLIV. *Quartus* Inimicitiarum Capitalium Effectus consistit *in Sponsalibus dissolvendis*, id quod expeditum satis credo in Jure Civili, quippe quod facilius eorundem dissolutionem concedit, etiam dissentiente alterâ parte, *L. 1. & 2. C. de Sponsal. Nov. 140.* Verùm an idem etiam de Jure Canonico & moribus dicendum, non abs re poterat dubitari Non solum enim contractis Sponsalibus DEO obligatio est quæsita, à quâ ideo se pro lubitu liberare nequeunt contrahentes, MEV. *P. 2. Dec. 210.* CARPZ. *in Jurispr. Eccles. L. 2. Def. 173.* FINCKELTHAUS. *Observ 42.* Sed etiam concessâ ex hac caussâ dissolutione, pessimus quisque atrocissima facilè odia concitare, & hac ratione à consummatione matrimonii se liberare posset: Unde plurimi, faciendum esse, quod justum, dixerunt, & compellendum refracta-

fractarium, ut servet promissa, cætera DEO humillimis precibus committenda, tanquàm animorum optimo Datori & Rectori, quam communem Theologorum opinionem putat MEV. *P. 4. Dec. 43. n. 2.* Verum enim verò, quàmvis Judex hanc caussam dissolvendi non statim approbare, sed potius omni ope anniti debeat, ut pectora illa exulcerata mitescant, atque in gratiam redeant: Exemplo Romanorum veterum, qui Conjuges inter se dissidentes in Templum Deæ Viri-Placæ convenire jubebant, ut ibi inter sese, quæ vellent, loquerentur, & omnem ex animo iracundiam evomerent, hocque facto concordes domum redirent. *Cypræus de Jur. Connub. Cap. 3. §. 82.* Quinimò non solum minis, sed mulctâ, imò etiam carcere dissentientes ad reconciliationem & votorum consummationem adigere possit, MEV. *P. 4. dec. 44. n. fin. Dn. D.* STRYK. *in Annot. ad B. Brunnem Jus Eccles. L. 2. c. 16. n. 7.* Nihilominus, si Judex adeò obstinatos animadverterit animos, ut hisce mediis flecti, atque in ordinem redigi non possint, præstat omninò rescindere sponsalia, quàm thalamo vi extremâ alligare, MENOCH. *de Arbitr. J. Quæst. cas. 455. n. 1.* Etenim non solum corporum, sed & animorum debet adesse conjunctio, *L. 1 ff. de Rit. Nupt.* Sicuti ergo illius impedimentum justa caussa est dissolvendorum sponsaliorum; STRUV. *in Jurispr. For. L. 1, tit. 6. aph. 19.* Sic quoque hujus, cum disjunctio animorum impediat etiam conjunctionem corporum, & plurimis malis caussam præbeat: Ubi enim non est mutuus amor Conjugum, ibi discordia sauciat mentes, impedit invocationem DEI, turbat totam domesticam consvetudinem, viamque patefacit tragicis & quibuslibet tristissimis casibus, CARPZ. *in Jurispr. Eccl. L. 2. Def. 176. n. 14.* Et quàmvis facienda sint justa, non attentâ refractariâ aliorum voluntate, constitutis ideò judiciis, ut refractarii compellantur; Attamen non planè certum est, an justum sit, ad matrimonium cogere invitos. MEV. *d. dec. 43. n. 14. & Dec. 44.* CYPR. *d. cap.*

 13. §. 82,

13. §. 82. GERHARD. de Conjug. §. 143. HARPRECHT. ad Rubr. l. de Nupt. n. 31.

An impunes sint personæ, ob Inimic. Cap. Sponsalia dissolvere volentes.

XLV. Siccine itaque impunè dimittendæ sunt ejusmodi Personæ? Distingvo inter Partem nocentem, & innocentem: Quod ad hanc attinet affirmo, si justam habuerit odii concipiendi caussam, fortè ob atroces injurias à parte nocente illatas, aut si hæc famosum aliquod crimen, *v. gr.* furti, homicidii *&c.* commiserit, quòd tædium atque horrorem Personæ alteri incusserit, ut ideò parti illi innocenti transitum ad secunda vota justè permitti, tradat COTHMAN. *Vol. 1. Resp. 10. n. 240.* Sed quà illam, idipsum nego, ne malitia ipsius maneat impunita. *L. 38. ff. de R. V.* Unde Amplissima Facultas Juridica quæ Froncofurti est, non dubitavit aliquando refractariam Sponsam sub certâ mulctâ ad consummationem matrimonii adigere, & eam nihilo secius recusantem in illam mulctam condemnare, simulque pœnæ loco ad dies vitæ Sponsi, sine caussâ repudiati, cœlibatum ei imponere; Sponso verò nova Sponsalia contrahendi licentiam indulgere: Quod responsum exstat in annot. D. STRYK. ad B. Brunnem. Jus Eccles. L. 2. c. 16. §. 7. verb. Pœna solet dictari.

An hic Effectus locū habet in matrimonio?

XLVI. Et hæc de Sponsalibus: Quantum ad ipsum Matrimonium jam contractum nusquàm quidem expressum est, illud ob Inimicitias supervenientes, quantumvis Capitales atque atrocissimas rescindi posse, siquidem hactenus duæ saltem à DDribus recensentur caussæ, quæ ad matrimonium dissolvendum sufficiant nostris moribus, adulterium sc. &. malitiosa desertio, ob text. *Matth. cap. 5. v. 32.* Quia tamen periculo plenum est, cum Inimico suo sub eodem tecto, imò in eodem ecto commorari, permissum tandem est, ut Conjuges Odio Vatiniano adversus se flagrantes, quoad thorum & mensam possint impetrare separatio-

rationem, usque dum fortè animi rursus mutati, denuoque conspiraverint. *c. 8. vers. si autem. X. de Restit. Spol.* CARPZ. *L. 2. def. 20.* HAHN. *ad Wesembec. tit. de Divort. n. 8.* Neque tamen Judex ad hanc separationem promiscuè & temerè prorumpere, sed & hic reconciliationem tentare, partem nocentem ad cautionem de non offendendo sufficientem, & Conjuges ad cohabitationem compellere debet. COPP. *in usu Pract. Inst. L. 1. Observ. 45. n. 6.* Quinimò si persvasiones non sufficiant, mulcta arbitraria, vel etiam pœna carceris, aut alia locum habere poterit, quo ita ad frugem revertantur Conjuges. CARPZ. *d. L. 2. def. 107. & 108.* HARPR. *ad rubr. I. de Nupt. n. 135.* Add. *B.* BRUNNEM. *in Jur. Eccles. L. 2. Cap. 17. §. 31. & 33.* ubi dicta & illâ Inimicitiâ Capitali vult intellecta, quæ cum periculo vitæ est conjuncta.

XLVII. *Quintum* Effectum Dd. exhibent *in absolvendo Inimicum ob onere Tutelæ :* Qui enim Capitalis alicujus Inimicus fuit, licitè semet excusare potest à Tutelæ administratione. *§. 11. I. de Excus. Tut.* ibique *DD. L. 6. §. 17. ff. de Excus.* ibique *DD. Salycet. ad L. 16. C. de Excusat. Tit.* PEREZ. *ad tit. eund. n. 5.* CARD. TUSCH. *Pract. concl. 148. lit. I.* WESEMBEC. *P. 1. Consf. 40. n. 64.* Rationem hujus excusationis hanc proferunt Doctores, quòd scil. Inimico meo gratificari non tenear; Verum an quis illam rationem illæsâ conscientiâ inter Christianos urgere possit, valdè dubito: Est enim Christianismo è diametro contraria, si illud perpendamus: ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς. Hinc quibusdam alia hic occurrit ratio, nimirum, ut liceat suspicionem hoc obtentu vitare, & antevenire remotionem: Famæ enim ratio omninò habenda, ne adversa & damna Inimicitiæ imputentur. Hæc reputatio conscientiam excusan-

(5) *Quòd absolvat ab onere tutelæ.*

tis absolvit, nec religio exigit, ut qualibet officia præter necessitatem Inimicis præstentur, nec caritatis Lex imperat tutelam, nisi cum alius reperiri nequit, uti doctè more suo nolit EXCELL. DN. ULRIC HUBER. *in Disp. Jur. Fundam. 26. §. 16.* Add. VINN. *ad. d. §. 11. I. de Excus. Tut.*

Quid si Inimici odio deposito tutelam suscipere velint? XLVIII. Sed quid, si tandem aliqui sint, qui odium morte finiendum, nec mortuo insultandum putent, ideoque tutelam sibi oblatam acceptare velint, an jure erunt admittendi? Et non puto eos admittendos, quin potius adhuc rejiciendos, *L. 3. §. 12. ff. de Suspect. Tutor.* Quoniam Inimicitiæ cum Parentibus contractæ, in Liberis censentur continuari: *L. 1. 2. & 3. ff. de Liber. caus.* HARPRECHT. *ad §. 9. & seqq. I. de Excus. Tut. n. 3.* Hinc contra officium Judex non peccat, si justâ hac suspicione ductus, illos nihilominus à Tutelâ excludat, ne ipsemet aliquando, si quid ab Inimico passivo circa tutelæ administrationem neglectum, teneatur, quòd sc. culpam commiserit in Tutoris Inimici constitutione, *arg. §. 1. I. de Satisd. Tut.* quippe qui adeò incapax tutelæ gerendæ in Jure nostro censetur, ut etiam datus occultatâ prius Inimicitiâ, jam post eandem manifestatam adhuc removeri possit, ALDOBRAND. *ad d. §. n. 6.*

An hic Effectus etiã in Tutore Testamentario locum habeat. XLIX. Atque hæc Dispositio facilè meretur applausum in Tutore Legitimo, vel à Judice dando, modò inter Legitimos Matrem exceperimus atque Aviam, quæ licet gravissimo odio persecutæ fuerint Patrem Pupillorum, nihilominus tamen ideo à Tutelâ non sunt arcendæ, cum odium illud longè superare videatur affectus maternus. *Nov. 72.* Saltem quâ Tutorem Testamentarium dubium, an & ille semet excusare possit ob Inimicitias Capitales? Equidem; si Inimicitiæ post Testamentum factum supervenerint, affirmare idipsum facillimè possumus; ob *L. 6. §. 17. ff. de Excus.*

Excus. Sed quid si ipso Testamento fuerint antiquiores? Diceres forsitan, quantum ad Tutorem adhuc durare Inimicitiam; præsumi veró sopitam quantum ad Testatorem, *arg. fin. C. ad L. Jul. repet.* Cui applaudit etiam *§. 11. I. de Excus. Tut.* qui de Inimicitiis Capitalibus loquitur generaliter, nec quâ Tutorem Temamentarium distingvit. Verum obstat huic opinioni *L. 6. §. 17. ff. eod.* ex quo satis liquet, quòd per dationem Tutoris Inimicitiarum inducatur remissio, à quâcunque etiam parte odium illud profectum, cum Pater, qui optimum pro Liberis consilium capere dicitur, non adeo consilii censeatur inops, ut, quem novit Inimicum, liberis suis præficiat. ALDOBRAND. *ad §. 9. I. de Excus. n. 12. & seqq.* Breviter id sentio, quod, licet Tutoris inhabilitas hac ratione sit sublata, nondum tamen se excusandi potestas, si probare possit, veram reconcillationem nondum intercessisse, fortassè, quod nunquam ad Testatorem fuerit vocatus, ut reconciliaretur; Vel planè demonstrare possit, se propter Inimicitias Tutorem Testamento constitutum, prout intelligendum puto *§. 9. I. de Excus.* quem alias varii varie explicant, ne propter *§. 11. seq.* videatur superfluus; Quidam enim de eo illum interpretantur casu, quo Pater Virum potentem liberis suis Tutorem dedit, ut si ab Inimicis Paternis eo essent tutiores, quam opinionem recenset ALDOBRAND. *aad. §. 9. per* sed non approbat, & rectè: Nec enim video, quâ ratione talis Tutor semet possit excusare? Quidam eundem explicant de Inimicitiâ hactenus occultâ & nunc demum per dationem à Patre erumpente, dum propter Inimicitias eum Tutorem constituit; sed nec illa arridet explicatio: Ecquis enim ex datione Tutoris solâ Inimicitiam colligeret? Placet ergo prius allata *Aldobrand.* opinio, quòd scil. Inimicitiæ, quæ Testamentario Tutori cum Patre intercesserunt, per dationem remissæ censeantur, adeoque talis excusare se non posit, nisi probet in specie, quod propter Inimicitias datus, utpote quo litibus

Explicatio §. 9. I. de Excusat.

litibus implicaretur, &c. *d. L. 6. §. 17.* ALDOBRAND. *d. l. n. 1.*

6.) Quod locum faciat Exheredationi. L. *Sextò* Inimicitiæ Capitales operantur *Exheredationem eorum, qui alias necessariò erant heredes instituendi*, vid. *L. 28. C. de Inoff. Testam.* BARTOL. *in L. 3. 1. non solum ff. de alim. Leg.* BALD. *L. 5. cons. 112. n. 2. & 6.* BERTAZZOL *L. 1. cons. 101. n. 8.* CARD. TUSCH. *concl. 577. n. 6. lit. E.* SCHRADER. *Vol. 2. cons. 37. n. 66.* WESEMBEC. *P. 1. cons. 29. n. 52.* CUIAC. *in Nov. 118. in fin. pr.* CARPZ. *P. 1. C. 29. def. 28. n. fin.* Modò Persona exheredanda caussam dederit hisce Inimicitiis, & quidem per ejusmodi facta odiosa, quæ in Jure nostro digna habentur Exheredatione, de quibus in *N. 115. c. 3.* Aliam namque Inimicitiam ex aliis factis collectam, nisi planè illis sint simillima hic non agnoscimus. DN. PRÆSES *in Exam. Inst. tit. de Exhered. Liber. Qu. 18.* Quàmvis & hoc fateamur quosdam exheredandi caussas in *d. N. 115.* expressas, ita esse comparatas, ut ex illis Capitalem inferre Inimicitiam admodum sit difficile: Indeque rectè dici possit: Nec omnem Inimicitiam Capitalem locum facere exheredationi, nec exheredandi libertatem ex solâ dependere Inimicitiâ Capitali.

An Exheredatio ob præcedentes Inimic. Capital. præsumatur? LI. Præsumiturne vero ista Exheredatio ex Inimicitiis Capitalibus apertis, ita ut licet Testamentum non conditum, ipso Jure tamen ab hereditate exclusus censeatur Inimicus? Et negandum hoc utique putamus: Neque enim ulla hodie subsistit Exheredatio, nisi cujus caussa à Testatore expressa, *d. N. 115. c. 3.* Exceptis illis caussis quæ obstant Testamenti factioni, de quibus *vid. B.* BRUNNEM. *ad* WESEMBEC. *tit. de Liber. & posthum. Qu. 14.* His & hoc addas licet, quod si heres in Testamento scriptus extraneus, ex eo, quod Testatoris postea factus Inimicus Capitalis,

non

non statim indignus censeatur hereditate, etiamsi Testator ex hac caussâ jam tum mutare inceperit voluntatem, sed antequam perfecerit, decesserit, *L. ex parte 22. ff. de adimend. Leg.* quia prius Testamentum nudâ voluntate non revocatur, sed demum per aliud posterius æquè perfectum, ac debitis solemnitatibus adhibitis ad finem perductum, *§. 2. & 7. I. Quib. mod. Test. infirm. Zoes. ad ff. tit. de his quib. ut indign. n. 22.* RIPA *ad L. fin. C. de Revoc. donat. n.* 154. MASCARD. *de Probat. concl. 1282. n. 150.* Pariter hoc quoque notes, quod licet non omnis Inimicitia Capitalis ad facta referri possit, quæ aliquem indignum reddunt hæreditate; aliquæ tamen sint, quæ hereditatem aufferant heredibus, utpote si Testatorem occiderit heres, *L. 3. ff. de his quib. ut indign.* si defuncto de crimine aut statu controversiam moverit, &c. Vid. *B.* BRUNNEM. *d. l. tit. de his quib. ut indign. Qu. 3.*

LII. Sequitur *septimus* Inimicitiarum Capitalium Effectus, nim. *Legati ademtio.* Cum enim Legata consistant in nudâ voluntate, nullum dubium est, quin probatâ mutatione voluntatis ademptum censeatur Legatum. *L. 3. §. ult. ff. de adim. & transf. leg.* Add. CARPZ. *P. 3. c. 13. def. 19.* Atqui vero probatur hæc mutatio non tantum expresse, ex verbis scil. contrariis, *t. t. I. de Adempt. Leg.* verum etiam tacitè, ex factis, benevolæ voluntatis mutationem inducentibus. Et sic quoque ex interpositis postea Inimicitiis Capitalibus, *d. L. 3. §. ult. L. 9 ff. de his quib. ut indign.* GLOSS. *in d. L. 27. C. de Fidei comm.* BARTOL. & BALD. *ad d. L. 9. & l 3 §. ult.* CARD. TUSCH. *Pract. Concl. 138. Lit. L.* MASCHARD. *de Prob. Concl 1287. n 137. seqq.* RIPA *in L. fin. C. de Revoc. Donat. n. 151.* MENOCH. *L. 1. Cons. 0. n. 17* DECIAN *L. 1. Resp 57. n. 52. & L. 2. Resp. 46. n. 47.* SICHARD. *in d. L. 27. C. de Fideicom. n. 3.* PEREZ. *in tit. C. de his quib. ut indign. n. 1.* BERLICH. *P. 4. concl. 31. n. 160.* SCHNEI-

(7.) *Quod Legatum adimat.*

SCHNEIDEW. *in pr. I, de Adempt. Leg. n. 18.* Quis enim insigni beneficio affecturus præsumitur Inimicum? ut adeo dolo faciat, qui petit id, quod ipsi legatum ab eo, cujus postea factus Inimicus, cum contra voluntatem legantis petat, *L. 4. §. 10. ff. de Except. dol.* Nec prodest Legatario, quòd mortuo demum Testatori injuriam fecerit, odiumque in eum Capitale conceperit, quia eadem adhuc manet præsumptio, quòd scil. si scivisset tale quid facturum Legatarium, haud dubiè nihil ipsi legâsset. SALYCET. *ad L. 10. C. de his quib. ut indign.* SICHARD. *d. l. n. 7.* CARD. TUSCH. *d. concl. 128.*

An etiam adimat, si Legatarius non dederit caussam Inimicitiæ.

LIII. Annon autem excusabitur Legatarius, si ipse nullam Inimicitiæ caussam dederit, sed ipse Testator in culpâ fuerit? Ita volunt. SICHARD. *d. l. n. 4.* MASCARD. *Concl. 1287. aliique*; Sed contradicunt iis RIPA *d. l. n. 151.* MANTICA *de Conject. ult. Volunt. L. 12. tit. 5. n. 9. & 12.* HILLIG. *ad Donell. L. 8. c. 17. lit. C.* Utrosque conciliare tentat. MASCARD. *d. concl. n. 145.* dicendo: *Si Testator fecit tale quid, quod dedit caussam Inimicitiæ, & Legatarius causam acceptavit, seque Inimicum ex suâ quoque parte probavit, non esse excusandum legatarium; Quodsi verò Legatarius non acceptavit causam, neque in aliquo se Testatori Inimicum probavit, excusandum esse, & ad Legatum admittendum, quia sic non caussam habuit Testator mutandæ voluntatis*, adeoque cessat Præsumptio mutationis: *Esto itaque*, pergit, *Titium Sempronio scribere legatum, postea que cum ejus uxore adulterium committere, hanc injuriam si Sempronius dissimulet, nec ulciscatur, non censebitur revocatum legatum*; Verum enim vero re penitius pensitatâ, non possumus probare hanc conciliationem, quin potius simpliciter cum illis facimus, qui ob Inimicitias, cujuscunque culpâ ortas, exstinctum dicunt legatum; Leges enim omnes generaliter hoc in casu de Inimicitiis loquuntur nec usquàm culpam Legatarii requirunt; In specie vero *L. 9. pr. ff. de his quib. ut indign.* in verb. *Et verisimile esse cœperit Testatorem noluisse*, voluntatem Testatoris attendendam esse indicat, an sc. odi-

um

um ejus ſeu juſtum, ſeu injuſtum, tantum ſit, ut inde mutatio voluntatis præſumi poſſit: In Teſtatoris enim liberrimâ voluntate poſitum eſt, legata etiam ſine culpâ & offensâ Legatarii revocandi, & ſic voluntatem mutandi, *L. 4. ff. de adim. & transf. leg.* Atque hanc opinionem communem dici, probat ipſe MASCARD. *d. l. n. 144.* Neque huc quadrat exemplum Maſcardi ante relatum, ſiquidem iſte Maritus vel ideo odio dignus; Legato vero indignus, quod injuriam ad animum non revocaverit, & ob illam ſpem lucri leno præſumi maluerit. Taceo alia abſurda, quæ ex illâ Maſcardi opinione ſequuntur.

LIV. Sed non immeritò quæres: Cuinam ergo cedet Legatum hac ratione ob Inimicitias ademptum? Paucis diſtingvendum puto: Num odium exortum ſit defuncto Teſtatore, an eo adhuc ſuperſtite: Priori caſu Fiſco potius addicendum, ob *L. 9. §. fin. ff. Quib. ut indign.* Quoniam poſt mortem Teſtator velle amplius nequit. *L. 4. ff. Locat.* Ergo nec legatum poterit dici ademiſſe: Cum itaque hic Fiſcus vindicet injuriam ipſi jam defuncto illatam, non injuſtè pœnæ nomine retinet Legatum: At caſu poſteriori jure merito cedet Heredi: Sic enim ipſe Teſtator adhuc ademiſſe cenſetur Legatum, potiusque heredi, quàm Fiſco voluiſſe relictum, *arg. L. 33. ff. de Legat. I.* Add. CARD. TUSCH. *concl. 138. n. 71. lit. L.* ZOES. *ad. ff. tit. de his quib. ut indign. n. fin.* *Cuinam cedat hoc Legatum?*

LV. Dicta huc usque de Legatis, haud difficulter quoque applicari poterunt Donationi mortis cauſsâ, cum hæc ad exemplum Legatorum ferè per omnia ſit redacta, *§. 1. I. de donat.* Donationi tamen inter vivos non æquè, niſi Inimicitiæ ex cauſſis illis quatuor ortæ, quæ recenſentur in *L. fin. C. de Revoc. donat.* & Donatarius factus fuerit *Huc referendum, quòd etiã adimas donationes.*

 Inimi-

Inimicus Capitalis activus Donatis, ficque fuâ culpâ originem dederit Inimicitiæ contrahendæ, *arg. §. 2. in fin. l. de donat. d. L. ult.* MENOCH. *de Præsumpt. L. 3. præs. 37. n. 33.* Quæ omnia cum ubivis obvia, nec adeo ambigua, prolixius hic non diducimus, fed tandem ad finem properamus.

(8.) *Quòd Fidejussionis vinculum solvat.*

LVI. *Octavus* Inimicitiarum Capitalium Effectus, *in dissolvendo Fidejussionis vinculo* fit confpicuus. Quamvis enim regulariter ante folutionem Fidejusfor adverfus Debitorem agere non posfit, ut obligatione fidejusforiâ liberetur, *L. 22. pr. & §. 1. ff. Mandat.* Sunt tamen certi in Jure cafus, quibus hoc ipfum permittitur, quos vid. apud. MENOCH. *de A. J. Qu caf. 41.* HARPR. *ad §. 6. I. de Fidejusf. n. 7. & feqq.* Atque inter hos etiam funt Inimicitiæ Capitales, inter Debitorem & Fidejusforem exortæ. MENOCH. *d. l. n. 22.* BARTOL. *in L. Lucius 38. ff. Mandat.* BARBOS. *ad c. fin. X. de Fidejusf.* Quod fatis patet ex ratione *L. 10. C. Mandat.* Quia fcil. Fidejusfor, cujus Capitalis Inimicus eft Debitor, juftam metuendi causfam habet, ne detrimentum ex Debitoris fui fraude patiatur: HARPR. *ad. d. § n. 23.* Jufte igitur ad liberationem agere poterit: Modò tamen, ut cum aliis Dd. fupponimus, causfa Inimicitiarum non fuerit ipfe Fidejusfor: Ne alioquin in ipfius poteftate fit, delicto fuo conditionem fuam reddere meliorem, *L. 134. §. 1. de R. J.* Neque hoc præjudicat quicquam Creditori, quippe cui obligatus manet Fidejusfor, cum non oporteat eum, qui certi hominis fidem elegit, magis ob Inimicitias, quam ob errorem vel imperitiam aliorum, damno adfici. *L. 57. in fin. ff. Mandat.* Sed hoc faltem efficit, ut cogere posfit Debitorem Fidejusfor, quo fatisfaciat Creditori, atque hac ratione fe à Fidejusfione liberet. HERING. *de Fidejussor. cap. 20. §. 32. n. 8. & 9.*

LVII. Per-

LVII. Pergimus ad Actus Judiciales, ubi adhuc perlustrandum est maximè, quid Inimicitiæ Capitales operentur, qua Judicem, Accusatorem, Accusatum, Procuratorem ac Testem. Sit itaque Effectus Inimicitiæ Capitalis *nonus*, quod ***contra Judicem Inimicum tutò excipere, illumq; ut suspectum repudiare possim.*** *L.9. pr. ff. de Liber. causs. arg. L. 10. ff. de Jurisdict. c. Secundo 41. in fin. X. de Appellat. &c. cum inter 5. X. de Except.* BARTOL. *in Tr. de Judice Suspecto.* CARD. TUSCH. *Pr. Concl. 908. lit. S.* CRAVETT. *Consl. 132. n. 25. & Consl. 6. n. 31.* SICHARD. *ad L. 14. C. de Judic. n. 8.* SCHRADER. *Vol. 2, Consl. 27. n. 8. & 9.* CUIAC. *ad L. 10. ff. de Jurisdict.* BARBOS. *add. Cap. 41.* PEREZ. *ad tit. C. de Judic. n. 24.* STRUV. *in Jurispr. For. L. 4. tit. 6. aph 1.* Add. MEV. *P. 3. Dec. 153. n. 4.* Periculosum enim coram Judice suspecto litigare, ad quod ne quidem à Principe aliquis cogi potest. *c. fin. III. q. 5.* GLOSS. *in L. Apertissimi 14. C. de Judic. verb. Libello.* D. ZIEGLER. *de Offic. Judic. Concl. 13. §. 1.* MYNSING. *Cont. 3. Obs. 63. n. 8. & seqq.* At quid, quæso, magis suspectum reddit Judicem, quam Inimicitia atq; Odium? Unde multo validior creditur præsumptio, quæ ex Inimicitiâ Judicis oritur, quam quæ ex Amicitiâ, quippe quæ animum nocendi haud quaquam ita inducit, uti illa: Etsi enim Inimicitiarum causâ nihil contra Leges fieri debeat, *arg. L. 20. in fin. C. de Fid. Instrum.* neque Judicem in cognoscendo excandescere adversus eos decebat, quos malos putat, *L. 19. ff. de Offic. Præsid.* Etsi etiam Juramentô adstringatur Judex, quod cum veritate & legum observatione Judicium velit disponere, *L. 14. C. de Judic.* tanta tamen est humanæ naturæ imbecillitas, ut affectibus abrepti homines, nihilominus in vetitum nitantur, & insuper habito Sacramento, ea quandoque vindictæ cupiditate committant, quæ perpetrare, etiam non datâ fide, religio est,

(9.) *Quod operetur Exceptionem Judicis suspecti.*

prout elegantissimè disserit DN. ZIEGLER. *d. Tr. concl.* *13. §. 33.* ubi §. 35. etiam ob leviorem offensionem recusari posse Judicem asserit. Add. GARS. MASTRILL. *dec.* *131. n. 46.*

An hæc Exceptio in quocunq; litis ingressu opponi possit?

LVIII. Cæterum, an hæc Exceptio Judicis Inimici in quocunque litis ingressu opponi possit, decidere difficile non est, sed ad instar aliarum Exceptionum, quibus recusatur Judex, se habet. Vid. *L. 16. C. de Judic.* Quapropter, ut brevitati studeamus, adduxisse sufficiat *B.* BRUNNEM. *in Proc. Civil. Cap. 7. n. 16.* ZANGER. *de Except. P. 2. c. 4.* ZIEGL. *d. l. §. 34.* qui hac de re plenius consulendi: Illud adhuc monuisse non inutile erit: Judicem bene facturum, si, antequam rejiciatur, abstineat à judicando, munereque suo decedat: Multum enim hac ratione pudori suo prospiciet, nec minimum famæ consulet; Aut, quod rectius, & Christiano homine dignius videtur, Inimicitiam omnem ita deponat, ut etiam benefacere Inimico animum intendat. MAGNIF. DN. ZIEGL. *d. concl. 13.* *§. 39. in fin.*

(10) Quod Accusationem prohibeat.

LIX. *Decimus* Effectus consistit *in Accusationis prohibitione*: Qui enim Inimicus meus Capitalis est, accusare me de crimine aliquo haud potest, id quod Jur. Canon. satis fundatum, *in can. fin. Caus. 3. q. 5. c. 7. 10. 13. &* *X. de Accus.* Sed & Jure Civili colligi potest ex *L. 9 ff. de* *Accusat.* Cum nemo majori calumniæ suspicione laboret, quam Inimicus. ZOES. *ad ff tit. de Accusat. n. 7.* utpote cujus proprium est, infaustas contra alterum voces jactitare, *L. 9 §. pen. ff. de his quib. ut ind.* quemque Lex mentiri præsumit, ob odium, quo scatet, capitale *Crus. de Indic.* *Delict. P. 1. C. 10. n. 5.* CARPZ. *in Pr. Crim. Qu. 104. n. 32.* Ut

adeo

adeo præter necessitatem nulla discrepantia Juris Civilis atque Canonici sit admittenda, ut passim in hoc casu faciunt DD. vid. BALD. *ad L. 8. ff. de Publ. Jud.* CRAVETT. *cons. 723. n. 8.* BARBOS. *ad d. Cap.* TIBER. DECIAN. *Tr. Crim. L. 5. cap. 25. n.1. & 3.* FARINAC. *Pr. Crim. Lib. 1. tit. 2. Qu. 12. n. 34* CARD. TUSCH. *Pr. Concl. 160. Lit. A.* CARPZ. *d. Qu. 104. n. 30. & seqq.* Ubi moribus hanc sententiam approbatam uno docent ore. Neque est, quòd alicui dubium videatur: Cur adeò simpliciter ab accusando repellatur Inimicus, cum tamen ex ejus accusatione non statim pateat Criminis veritas; Sed demum per Testes, per indicia luce meridianâ clariora innotescat, *L. fin. C. de Probat.* quæ, si proferantur, cur non examinanda, atq; de crimine postea judicandum? Quod si vero non possint proferri, quid damni inferetur accusato? Annon enim falsos facile testes conquirere poterit Accusator, queis Reum convincat, & quomodo indicia de altero proferre potest evidentia, de cujus integritate dubitatur? Præstat igitur adhuc Inimicum admittere, & innocentem damnare. *L. 5. ff. de Poen.* Nisi, ut limitare solent DD, suam, suorumq; prosequatur Injuriam CLAR. *in Pract. Crim. Qu 14. vers. ulterius dixi.* FARINAC. *d. Qu. 12. n. 44* MASCARD. *de Probat. concl. 858.* WISSENBACH. *ad ff. tit. de Accus. th. 17.* *Limitatur.*

LX. Ex eadem, imo majori, caussâ etiam crimen denunciare prohibetur Inimicus *c. 19. X de Accusat.* FARINAC. *d. Qu. 12. n. 40.* Pro Accusatore enim adhuc ista militabat præsumptio, quod ob inscriptionem atque metum paris supplicii. *L. 7. pr. ff. de Accus.* non sit falsa delaturus, atque innocentes calumniâ gravaturus; Sed pro denunciante non item, quippe qui ad supplicii paritatem non inscribitur; nec æque publica est denunciatio, uti Accusatio, cum illa tantum clam fiat Judici, adeoque audaciorem possit reddere denunciantem, non etiam hæc. *Prohibetur etiam Inimicus crimen denunciare.*

(11.) Quod inditium præbeat ad Inquisitionem.

LXI. *Undecimus* Effectus ratione *Inquisitionis* sese exserit; Quod scil. Judex contra Inimicum Capitalem illius, qui occisus est, & de cujus occisore non constat, statim procedere, in illum in specie inquirere, & de ipso delicto examinare possit. *B.* BRUNNEM. *in Proc. Inquis. Cap. 4. §. 37.* Quod tamen de Inimico Activo potissimum volumus intellectum; non etiam passivo, præprimis si hic cæteroquin bonæ fuerit famæ; Quamvis & in illo non omnino circumstantias negligendas putemus, antequam ad specialem inquisitionem deveniatur. Add. FARINAC. *L. 1. Qu. 49. n. 106.*

Et Torturam

An autem etiam ad Torturam usque progredi possit Judex, illud decisum *in Const. Crim. art. 25. & 26.* Sola profecto Inimicitia nimis fragile ad torquendum esset indicium. ZANGER. *de Quæst., & Tortur. C. 2. n. 113.* dissentiente licet CRAVETT. *cons. 612. n. 4.* Requirimus itaque ut aliæ concurrant conjecturæ, si tortura dictitanda, *v. gr.* fama, fuga, *&c.* MATTH. STEPHAN. *ad d. art. 25. n. 7.* Maximi enim præjudicii tortura est, ad quam non ita facile, ut ad inquisitionem properandum. MANZ. *ad. d. art. 26. n. 3.* MENOCH. *de Præsumpt. L. 1. præs. 89. n. 51.* CARPZ. *Pr. Crim. Qu. 120. n. 48.* BARTOL. *in Tr. de Quæst. col. 2.* & *L. 1. §. 26. ff. de Quæst.*

(12) Quod Procuratoris revocandi caussam præbeat.

LXII. *Duodecimus* Inimicitiarum Capital, *Procuratorem* concernit: Nam si inter hunc & Mandantem Capitales intercesserint Inimicitiæ, justa hinc caussa nascitur Procuratori, renunciandi mandato, *L. 8. §. fin. L. 14. & 43. §. fin. ff. de Procurat.* Idque sive res adhuc integra fuerit, sive non, *§. 11. I. Mandat. & add. LL.* Cum enim mandatum ex officio atque amicitiâ originem trahat, *L. 1. §. ult. ff. eod.* absurdum foret, eundem effectum Inimicitiæ abortæ tribuere

tribuere velle, qui amicitiæ adſcribitur; Add. Cujac. *ad L. 14. ff. de Procur.* Card. Tuſch. *Pr. Concl. 857. lit. P. & concl. 860. ibid.* Weſemb. *P. 1. Conſ. 145. n. 21.* Modo tamen vitio ipſius mandantis ortæ fuerint Inimicitiæ; Si enim vitio Mandatarii ſeu Procuratoris, haud eſſent attendendæ, *arg. L. 1. ff. de Dol. mal.* Atque ex his etiam rationem deſumendam puto; Cur Arbiter ſuſcepto arbitrio ob inimicitias Capitales renunciare posſit, de quo vid. *L. 15. ff. de Recept. qui arbitr. rec.* ibique *Dd.* Posſet etiam hinc affirmativa deduci illius; An Commodans, ſi Capitali odio à Commodario citra causſam infeſtetur, ante finitum uſum revocare posſit commodatum? Verum, ne nimium excreſcat hæc disſertatio, his & aliis ſpontè ſuperſedemus.

Renunciandi item arbitrio.

LXIII. Sequitur *Decimus tertius* Effectus, quod ſcil. ob Inimicitias Capitales *Teſtis removeatur à Teſtimonio dicendo. L. 3. pr. in fin. ff. de Teſtib. Auth. ſi teſtis C. Eod. Nov. 90 c. 6. c. Repellantur 7. c. 10. 13. & 19. X. de Accuſat can. 2. & ſeqq. cauſ. 3. q. 5.* ibique *DD.* Butrigar. *de Teſtib Cap 1. n. 15.* Jacob. Ægid. *de Teſtib. n. 20.* Alber. de Maletis. *Tr. eod. Cap. 2. n. 4. ſeqq.* Lanfranc. de Orian. *de Teſtib. n. 48.* Alciat *de Præſumpt. Reg. 2. præſ. 11.* Carpz. *P. 1. C. 6. D. 56. n. 5.* Quia facile mentiri creduntur Inimici, *L. 1 §. 24. ff. de Quæſt. or* & tantum id intendere, ut eum, quem odio habent, perſumdent, ac perdant. Jodoc. Damhoud. *de Teſtib. Cap. 1. n. 3.* Quod eousq; procedit, ut ne quidem in delictis atrocibus Teſtes Inimici admittantur, *c. 32. verſ. Nos vero de Simon.* Oldrad. *Conſ. 210.* Farin *d. Qu. 13. n 5.* Quinimo, ſi pars citata ad videndum examinari Teſtes, opponat Inimicitiam Capitalem, ſeque ad illam in continenti probandam offerat, differatur

(13) Quòd Teſtem removiat.

tur Examen probatâque Inimicitiâ, Teſtis repellatur, Joh. Crot. *Part. 8. n. 9.* Nullâ diſtictione factâ, an Inimicitia ex lite criminali orta, an civili, uti faciunt aliqui Ddrum, ob *Nov. 90. c. 7.* Vid. Farinac. *L. 2. de Teſtib. Qu. 53.* Cruſ. *de Indic. Delict. P. 1. c. 78. n. 5.* Dn. Brunnem. *in Proc. Crim. Cap. 8. membr. 2. n. 21.* Cum etiam Lis Civilis Inimicitiam inducat Capitalem, Vid. ſupra *th. 22.*

An in Inquiſitione generali Teſtis Inimicus poſſit admitti?

LXVI. Annon tamen in inquiſitione generali ſint admittendi, non adeo dubium, cum in inquiſitione generali nondum ſciat Judex, quis ſit Reus, & hinc quamcunque perſonam de hoc interrogare posſit; Quamvis & hic adhuc Quæſtionis; Quod Judici faciendum, ſi ille, quem ſimpliciter atque indefinite interrogavit, de Inimico ſuo reſponderit, eumque nominaverit? Et certè non nimium ei fidendum, rectisſimè monet Menoch. *de Præſumpt. l. 1. præſ. 28. n. 13.* Cum ejusmodi inquiſitio, quæ ſolâ famâ plerumque niti ſolet, honorem atque exiſtimationem hominis ſugillet; Unde ſi probet alter Inimicitiam, ſpecialis contra ipſum inquiſitio nondum inſtituenda, Cruſ. *d. cap. 78. n. 3.* Multo minus ad Torturam deveniendum, Bald. *Vol. 3. conſ. 316.*

An occultum odium repellat Teſtem?

LXV. Quid autem, ſi de crimine ſuſpectus, odio quidem acerrimo perſecutus hactenus fuerit Teſtem, ſed occulto tamen, de quo non conſtitit Teſti, audiendusnè erit, ſi poſtea in judicio hoc odium urgere, & Teſtimonium Teſtis eapropter rejicere velit? Et brevibus hoc ipſum nego: Neque enim de tali Teſte, qui tempore depoſitionis cauſſam odii ignorat, dici poteſt, quod odio reciproco, hincque aliquâ ſuſpicione laboret. Farinac. *d. Qu. 53. n. 29.* Idem de Inimicitiâ Teſtis affectatâ dicendum puto, quòd ſcil. nec hæc urgeri, & Te-

ſtem,

ſtem, qui ſe Inimicum alterius Capitalem dicit, à Teſtimonii dictione liberare poſſit, niſi vel ipſe Reus Inimicitiam Teſtis opponat, vel indicia Inimicitiæ ſint aperta, *arg. L. 31. C. de Tranſact.*

LXVI. Cæterum cum ſæpisſime contingat, ut Reus Inimicitiam conſulto ac fraude procuret, ſaltem ne tanquam Teſtis contra ipſum producatur, cautus debet eſſe Judex, ut in causſam Inimicitiæ inquirat, & num inveterata ſit, an recens, item an paulò ante examen orta, forte ex alapâ eum in finem datâ, ſedulo attendat, quâ ratione non difficile erit, num teſtis admittendus, ipſique fides aliqua tribuenda, an non, dijudicare, vid. Farinac. *d. Qu. 53. n. 64. ſeq.* Maſcard. *d. concl. 1051. n. 18.* ubi plura huc pertinentia legi poterunt: Quibus nos ſaltem unicum adhuc circa hanc materiam annectimus; Annon ſc. parte non opponente, Inimicitiam tamen ſciente, Judex admittere posſit Inimicum Capitalem? Difficile ſane hoc eſt adfirmare de Inimicitiâ verâ, de cujus cauſsa certo conſtat, quia Judici ex officio incumbit refrænare calumnias, & ipſius accuſati curam gerere, inprimis cum unanimi DD. conſenſu Exceptio Inimicitiæ ſit Juris Naturalis, & hinc ne quidem à Principe posſit tolli. Menoch. *de A. J. Q. caſ. 28. n. 1.* Pariſ. *conſ. 2. n. 60.* Putamus igitur non admittendum, ſi præſertim cauſſa Criminalis, aut alias magni momenti; Quamvis autem expreſſe conſentiente illo, contra quem producitur, admitti poſſe Inimicum putet Farin. *d. Qu. 53. n. 8.* hoc tamen pariter in cauſsâ criminali admittere nequimus, cum Reus hic non habeat poteſtatem de ſe pro lubitu diſponendi. *L. 13. pr. ff. ad L. Aquil.* Licet in cauſsâ Civili non multum retragemur, *arg. L. 21. ff. Mandat.*

An Inimicitia fraudе de teſtis procurata attendenda Judici?

An Judex parte non opponente Inimicum Capital. admittere posſit?

(14) Quod excuset Vasallum, investituram non petentem.

LXVII. Atque hi fuere Inimicitiarum Capitalium Effectus ex Jure Civili ac Canonico: Ex Jure Feudali adhuc duo, sed remissive tantum addendi, quod scil. (1.) Inimicitia Capitalis excuset Vasallum, Investituram legitimo tempore non petentem, *c. un. pr. 1. F. 22.* Modo absque culpa Vasalli fuerit orta, *L. 25. §. 4. ff. Locat.* Rosenthal. *de Feud. c. 6. concl. 53. n. 5.* Ludwell. *de Renov. Invest. cap. ult.* ubi etiam ampliationes. (2.) Quod Privationem Feudi operetur, cujuscunque culpa fuerit orta. *c. un. 2. F. 57.* Carpz. *Disp. Feud. 9. th. 12.* Magnif. D. Stryk. *in Exam. Jur. Feud. cap. 23. Qu. 8.* Cessat enim sic caussa ob quam Feudum collatum, Gratia scil. & Benevolentia Domini D. Stryk. *d. l. c. 1. qu. 19.* Cessat quoque forma, quæ est mutua fidelitas. *2. F. 6. inf.*

(15) Privationem Feudi operetur.

Tollitur Inimicitia Reconciliatione.

LXVIII. Restat, ut adhuc pauca adjiciamus de *Reconciliatione*, modo sc. tollendi Inimicitiam. Breviores autem hic erimus, quo rariores illius sunt amatores. Plumbea enim sunt Odia, & inter ipsos mortales fere immortalia. Et quamvis tandem, licet tarde, in gratiam redeant homines, quot nihilominus scintillæ inter cineres micant, quam coacta procedunt officia, quam tepidi amores! ut jam, quod facto vel verbis amplius non licet, mente tamen altissimâ, sæpius maneat repostum. Quare Prudentis hic omninò erit diffidere, sibique ab inimico reconciliato cavere. Inde etiam Interppr. Juris Nostri occasiône *c. 3. III. q. 5.* nec Inimicum reconciliatum, si accusare velit, nec si testimonium dicere, ab omni suspicione immunem pronunciant, sed, an dudum, an vero de recenti reconciliatus, attendendum volunt. Farinac. *L. 1. Qu. 12. n. 4.* Judicis arbitrio committentes, quæ reconciliatio nova, quæ antiqua dicenda. Add. Aldobrand. *ad §. 11. I. de Excus. n. 24.*

Quid in hac attendendum Judici?

LXIX. Quâ